ecclesiastico disceptata ; ut ex integra ipsius textus , quam ex quinta compilatione transcripsi , constat. Simili etiam modo exponendus est textus *in c. ex insinuatione* 50. *de appellat.* in illis verbis: *Quidam clericus commensalis suus , dicti Cameraii in eadem causa fuerat advocatus.*

14 Exponitur can. 11. Concilii Emerit.

Adhuc supra traditæ assertioni obstat textus *in can.* 11. *Concilii Emerit.* in illis verbis: *Id ergo per omnia servandum instituimus , ut nulli Presbytero , vel Diacono sine voluntate Episcopi sui licentia sit saculares peragere causas , aut injunctiones expedire publicas.* Ex quibus verbis expresse deducitur , tantum Presbyteris, & Diaconis prohiberi in judicio postulare : ergo non subdiaconis, & aliis inferioribus clericis, etiam coram judice sæculari postulare prohibetur . Cui difficultati satisfacien, dum est ex supra traditis, videlicet supponendo, primis Ecclesiæ temporibus prohibitionem hanc tantum circa clericos in majoribus gradibus viguisse, non vero circa initiatos minoribus ordinibus, usque dum ex Synodo Constantinopol. supra relata, & *ex c.* 1. *hoc tit.* protracta fuit hæc prohibitio ad clericos inferioris gradus ; & cum tempore Concilii Emeritensis usque ad tempora Urbani II. gradus Subdiaconi non esset sacer , sed inter minores enumeraretur , *c. a multis , de ætate , & æqual.* ideo PP. Concilii Emeritensis, dum hanc prohibitionem firmarunt , tantum expresserunt Presbyterum , & Diaconum.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

CAPUT PRIMUM.

a Gregorius *Maximo Episcopo Salonitano.*

Alia quidem scripta ad fraternitatem tuam ante feceramus ; sed tempore quo *b* homines tuos , quos ad nos misisti , relaxare voluimus , scripsisse te quibusdam nostris comperimus , quod Veteranum Presbyterum , atque Optatum Defensorem , tunc minime in causa transmiseris ; & ideo ea , quæ cum eis acta sunt , non debere subsistere . Sed & Thomas Ecclesiæ tuæ *c* Defensor sibi verbo a te dictum perhibuit . Ex qua re jam nec præsentium portitoribus judicavimus esse credendum, ne de ipsis quoque post hæc similiter diceres . Quia ergo hæc res nos valde fecit ambigere , & cautos esse debere præmonuit , si causam vultis dicere , instructam de cetero personam cum mandato *d* legaliter facto , tuis , ac Presbyterorum , seu *e* Diaconorum in testimonium subscriptionibus roborato , gestisque ex more indito transmittere , ut quidquid cum ea actum fuerit , possit jure subsistere . Nam nos non solum tibi , sed etiam omnibus , quod justum , legitimumque fuerit , parati sumus Deo juvante per omnia custodire : tantum ut tu , quod lege præcipitur , facere non omittas .

NOTÆ.

1 G *Regorius* .) Ita etiam legitur in prima collectione , *sub hoc tit. c.* 1. & apud Anton. August. *in epit. juris* , *l.* 29. *tit.* 25. & reperitur textus hic in registro epistolarum ipsius Gregorii , *l.* 11. *ep.* 13. ex quo textum hunc restituo . Salona Metropolis Illyrici Orientalis, hodie dicta *Saldon* , est in Dalmatia , cujus Episcopus Glycerius refertur ab Evagrio *l.* 2. *c.* 16.

b *Homines tuos* .) Non accipias homines in præsenti pro vassalis , ut *in cap. finali* , *de servis non ordin.* sed pro procuratoribus suis.

c *Defensor* .) De officio defensoris Ecclesiæ late egi *in c.* 1. *de testam.*

d *Legaliter* .) Idest juxta legis præscriptam formam , quam infra dabimus.

3 e *Diaconorum* .) Quorum officium erat adesse Episcopo , ut testes vitæ , morum , ac actionum ipsius : idem Gregorius *l.* 4. *ep.* 88. & in Synodo Rom. *c.* 2. ibi . *Quidam ex clericis , vel etiam ex monachis , electi ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur , ut is , qui in loco est regiminis , testes habeat tales , qui vitam ejus in secreta conversatione videant* . Et *c. jubemus* 59. *de consecr. dist.* 1. Concilium Gerundense *can.* 6. Tolet. 4. *can.* 22. Turon. 2. *can.* 13. Damasus *in vita Lucii Papæ* , ibi : *Lucius præcepit , ut duo Presbyteri , & tres Diaconi , in omni loco Episcopum non deserent propter testimonium ecclesiasticum.* Evaristus etiam constituit , ut Episcopo prædicante septem Diaconi adessent propter testimonium veritatis doctrinæ , ut refert idem Damasus *in ejus vita.* Notarunt Baronius *anno* 112. Ant. Aug. *in epitome juris* , *l.* 4. *tit.* 43. juxta quam ecclesiasticam disciplinam jubet in præsenti Gregorius, ut in mandato ab Episcopo procuratori dando , tam Diaconi , quam Presbyteri subscribant , ut testes fidei , & vitæ ipsius , juxta Synodum Francicam *l.* 5. *c.* 2. ibi : *Episcopo presbyter testis assistat castitatis , & vitæ & fidei , & doctrinæ illius* .

COMMENTARIUM.

4 Conclusio traditur & probatur.

EX hac Gregorii epistola sequens communiter deducitur assertio : *Non admittitur procurator in judicio , nisi habeat mandatum legitime confectum* . Probant eam textus *in c. cum M.* ubi glossa *verbo Socii* , *de constitutionibus* , *c. nonnulli* 27. §. *ult. c. ex parte* , *de rescriptis* , *c. cum dilectus* 6. *c. venerabilis* , *de dolo & contumacia* , *c. in nostra* 4. *hoc tit. c. contigit* 3. *de transf. c. cum olim* , *de officio deleg. c. per tuas* , *de arbitris* , *c. significavit* 48. *appell. c. licet* , *eodem tit. in* 6. *c.* 2. *c. constitutus* 8. *de in integr. restit. c. cum pridem* 4. ubi glossa *verbo Dicebat* , *de pactis* , *c. fin. de majorit. & obed. c. exposuit* 4. *de dilat. c. cum olim* 6. *de except. c. cum dilectus* 8. juncta glossa *verbo Ratihabitione* , *de religiosis domibus* , *c. sepire* 14. *de censibus* , *c. auditis* 8. *c. dilectus* 11. *c. constitutis* 12. *c. mandato* , *finali* , *hoc tit. c.* 2. *c. is qui* 4. *eodem tit. in* 6. *c.* 1. *c. procurator* 38. *de electione in* 6. *l. si quis inficiatur* 13. *ff. depositi* , *l. de pupillo* 5. §. *fi procurator* , *ff. de novi operis nunt. l. si procurator* , *C. hoc tit. leg. si is qui heres* 25. *ff. de exceptione rei judic. leg.* 3. *C. Theod. de cognit. & procur. leg. qui ita* 66. §. 1. *ff. ad Trebell. l. licet* , *leg. si procurator* , *C. eod. leg. si procuratore* , *ff. de conditi. causa data* , *leg. si falsus* 6. *C. de furti* , *leg.* 2. *tit.* 10. *l.* 1. *fori* , *l.* 2. *tit.* 3. *l.* 2. *fori* , *leg.* 16. *styli leg.* 10. *tit.* 5. *partita* 3. *leg.* 55. *tit.* 1. *l.* 3. *leg.* 3 *tit.* 2. *l.* 4. *recopil.* Illustrant plures congesti a Barbosa *in præsenti* , quibus addendi sunt Quesada *l. unico quæstionum* , *q.* 31. Caldas *in l. si curatorem* , *verbo Lysi* , *n.* 101. C. *de in integrum restit.* Villadiego *inditis legibus fori* , Paz *in dicta leg.* 16. *styli* , Pichardus *in nuduct. ad praxim* , *part.* 1. *precept.* 1. Donel. *l.* 18. *comment. c.* 12. Avendanno *l.* 2. *de metu* , *c.* 17. Sesse *t.* 2. *decis.* 188. Arnoldus Vinius *l.* 1. *select. q.* 52. Vega *in c. causam* , *n.* 10. *de judiciis* , Vultejus *consil.* 35. *n.* 3. *volumine* 4. & *l.* 2. *de judiciis* , *c.* 7. *n.* 384. Cyriacus *t.* 2. *controv.* 384. *n.* 11. Carleval. *t.* 2. *de judiciis* , *disp.* 4. *n.* 27. Pareza *de instrum. edit. tit.* 5. *resol.* 10. Hunnius *in encycloped.* 1. *part. tit.* 38. Nogueroi. *alleg.* 10. *n.* 138. & *alleg.* 11. *n.* 10. Angujanus *de legibus* , *c.* 8. *n.* 51. Cancerius *t.* 2. *variar. c.* 14. *n.* 64. Larrea *alleg.* 87. Olea *de cessione iurium* , *tit.* 1. *q.* 1. *n.* 2. & *tit.* 5. *q.* 3. Mancius *de procurat. n.* 186.

5 Impugnatur traditæ assertio.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti juris consideratione ; nam si procurator non admitteretur in judicio absque mandato ad agendum, nec etiam admitteretur ad defendendum , quia tam in uno , quam in alio casu extranea persona est : sed ut defensor sine mandato admittitur , *l. servum* 33. §. 2. *ff. de procurat. l.* 2. *ff. de negotiis gestis* , *l. unica C. de satisdando* , Donellus *l.* 17. *commens. c.* 12. Vultejus *disputationum iuris c.* 11. igitur sicut procurator tamquam defensor sine mandato admittitur, etiam ad agendum admitti debet. Augetur hæc difficultas ex eo, nam maritus absque mandato in causa uxoris suæ admittitur , *l. maritus* 21. *C. hoc tit.* ut etiam admittuntur parentes, fratres , affines , colliberti , & socii, *l. sed hæc* 35. *ff hoc tit.* probat Osualdus *ad Donel. d. c.* 12. *littera K* , & *L.* Igitur generaliter verum non est, procuratorem in judicio non admitti absque mandato. Deinde in eam partem præsentis epistolæ , ubi asserit Gregorius , mandatum Episcopi, quo constituit procuratorem, debere signa habere , tam presbyterorum, quam Diaconorum, ita insurgo: Litteris Episcopi e-jⓘ sigillo munitis etiam sine testibus, & aliis subscriptionibus fides adhibetur , *c. post cessionem* 6. *de prob. c. cum ex eo* , *de elect.* Cironius *ad tit. de testibus* , Angujanus *l.* 1. *de legibus* , *c.* 6. *per totum* , Pareza *de instrum. edit. tit.* 1. *resol.* 3. §. 5. *n.* 39. igitur mandatum Episcopi absque ulla subscriptione Presbyterorum, & Diaconorum sufficiens erat ad constituendum procuratorem.

6 Procurator quis.

His difficultatibus minime obstantibus vera est præsens Gregorii decisio, pro cujus expositione sciendum est, eum qui negotia alterius gerenda suscipit , vulgo appellari procuratorem , sive negotia sint forensia , sive extrajudicialia , *leg.* 1. *& per totum ff. hoc tit.* juris autem Interpretes procuratores appellant eos, qui negotia forensia pertractant ; eos vero, qui extrajudicialia negotia curant, mandatarios dicunt. Petrus Gregorius *l.* 40. *syntagm. c.* 4. *n.* 1. Vinius *l.* 1. *select. c.* 52. Hunnius *in encyclop. tit.* 38. Acunna *in c.* 3. *dist.* 54. Mancius *de procurat. n.* 1. vel procuratores ad lites, vel ad negotia appellant, ut etiam distinguuntur *in c. constitutis* 11. *hoc tit. c.* 1. §. *fin. c. qui ad agendum* 4. *c. qui generaliter* 5. *hoc tit. in* 6. *leg.* 1. §. 1. *l. servum* 33. *l. procurator* 63. *ff. eodem* . & inter utrumque procuratorem nonnullæ versantur differentiæ . Prima , nam procurator ad negotia potest quandocumque alium substituere , *c.* 1. §. *finali* , *hoc tit. in* 6. Osualdus *d. c.* 12. *Donell. litt. S* , nisi electa sit industria personæ ; procurator vero ad litem tantum post ejus contestationem , quia per illam dominus litis efficitur , *l. si procurator* 9. *ff. de dolo* , *l. si procuratorem* , *ff. mandati* , *l. si procuratoribus* 22. *C. hoc tit.* post alium designare , *c.* 1. §. *licet* , *l. quod quis* 8. *l. neque* 11. *C. hoc tit.* Secunda , quia ad negotia quilibet post 17. annum procurator constitui valet , quia id fit tantum periculo ejus , qui ipsum constituit , *leg. si collaticius* 13. *ff. de manumissis vindictæ* ; ad lites vero non ante vigesimum quintum annum , *dict. c. qui generaliter* , §. *finali* , *l. minor* 51. *ff. hoc tit. l. exigendi* , *C. hoc tit. l. fin. C. de his qui veniam ætatis* , §. *eadem* , *Instituta quibus ex causis manumittere* :

Covarr.

Covar. *in c. tum* , *n.* 4. *de testam.* Gutier. *de juram. cap.* 11. Ratio hujus principii ex eo provenit , quod potest restitui in integrum in præjudicium adversarii , *d. l. minor* , & quia personam legitimam standi in judicio pro se non habet , *l.* 1. & 2. *Cod. qui legitimam* ; ideoque constituere cogitur procuratorem in propriis causis , *l. finali* , *C. de legitimis tuoribus* : quomodo ergo pro alio in judicio esse poterit , qui nec in suis jus standi habet ? In causis tamen beneficialibus , & spiritualibus admittitur , *c. ex parte* , *de restit. spol. c. continebatur* , *de desponf. impub. c. fin. de judiciis* , *l.* 6. Covar. *l.* 1. *var. c.* 5.

7 De utilitate procuratorum.

Deinde sciendum est, quod licet tempore primæ Jurisprudentiæ nemo per alium in judicio agere posset, nisi pro pupillo, libertate, aut tutela, *principio Institut. de his , per quos agere* ; idque summa cum ratione , quia cum nemo in vitus cum alio contrahere cogi valeat , *leg. invitum* , *Cod. de contrahenda emptione* , Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. ita neque cum eo , cum quo negotium non gessit, judicium suscipere cogendus est. Postea tamen lege Hostilia in speciali casu permissum fuit furti agere alieno nomine . Polletus *lib.* 2. *hist. fori* , *c.* 1. Demum consuetudine procuratores indistincte in usum venerunt , ut valde necessarii , *l.* 1. §. *usus* , *ff. hoc tit.* ut ita qui rebus suis superesse non potest , morbo , aut ætate , aut quia molestiis , & tædio negotii terretur, per alium in judicio agere posset, ut probant Vultejus *lib.* 1. *de judiciis* , *c.* 7. *n.* 48. Olano *l.* 3. *Paralip. c.* 9. *n.* 34. Differunt autem valde ab his procuratoribus advocati , & negotiorum gestores , ut eleganter docuit Asconius Pedianus ad Ciceronem de divinatione, his verbis : *Qui defendit alterum in judicio , aut patronus dicitur , si orator est ; aut advocatus , si audicus præsentium suam commodat amico ; aut procurator , si negotium suscipit* . Plura de his cognitoribus , & oratoribus congestit Gothofredus *in leg. fin. Cod. Theodos. de cognitoribus* .

8 Procuratoris diffinitio.

His suppositis de procuratorum origine, succedit diffinitio, quæ ita communiter concipitur : *Procurator est , qui aliena negotia mandato domini administrat.* Colligitur ex *lege* 1. *in principio* , *leg.* 3. *l. filii* 8. *l. si quis* 31. §. *unius* , *leg. qui proprio* 47. *in principio* , *l. Paulus* 69. *ff. hoc tit. l. rotte* 36. *ff. de judiciis* . Explicant Treutlerus *l.* 1. *select. thes. disp.* 9. ubi Bachovius , Vultejus *de judiciis l.* 1. *c.* 7. *n.* 59. Duarenus *ad titulum de procurat. c.* 2. Ex illis verbis, *aliena negotia*, deducitur eum vere procuratorem dici, qui aliena negotia curat , non vero, sua , *l. si diligenti* 5. §. *ult. ff. mandati* , & ita procurator in re propria nemo existit, *leg. licet* 42. §. *is qui* , *ff. de procur.* esti ille , cui dominus actiones suas donavit , in solutum dedit , vel alio modo cessit, dicatur procurator in rem suam, quia ad utilitatem propriam actiones illas exercet, *l. omnia* 25. §. *plane* , *l. si actor* 22. *leg. Plautius* 61. *ff. hoc tit. leg.* 4. *leg. qui stipendia* 9. *Cod. eod. tit. c.* 1. §. *licet* , *hoc tit. in* 6. explicant Petrus Greg. *l.* 3. *partit. tit.* 18. *c.* 7. Duarenus *ad tit. de procuratoribus* , *c.* 9. Verba illa , *Mandato domini* , denotant differimen , quod versatur inter procuratorem , & tutorem , curatoremque, ac similes, qui non mandato domini , sed publica auctoritate judicis , vel legis aliena negotia curant , ut observant Duarenus *ad hunc tit. c.* 7. Osualdus *ubi supra* . Hæc diffinitio convenit omnibus procuratoribus , etiam ad negotia extrajudicialia constitutis: quare procurator ad litem ita specialiter definitur : *Ut sit is , cui aliena rei actio , vel defensio præsentis , vel absentis permissa est mandato domini , qui in judicio litis causam sustinet* . Quam exponunt Vultejus *ubi supra* , Pichardus , & alii Institutarii *in principio Instit. de his per quos agere* .

9 Mandatum necessarium est.

Deinde sciendum est , inter alias exceptiones , quæ communiter procuratoribus opponi solent , quas refert Bayo *in praxi* , *cap.* 12. primam , præcipuamque esse defectum mandati ; si enim illud procurator non habeat , vel quod habet , insufficiens sit , non admittitur in judicio ad agendum , etsi caveat dominum ratum habiturum, *leg. Pomponius* 40. §. *ult. ff. hoc tit. leg* 1. *Cod. eod.* alias omnia gesta per talem procuratorem nullius momenti sunt , *l. si procurator* , *C. eod. tit.* quare ne illusorium reddatur judicium, judex etiam non opponente parte potest repellere procuratorem mandatum non habentem , *leg.* 15. *tit.* 1. *lib.* 3. *recopil. leg.* 3. *tit.* 2. *lib.* 4. *recopil.* Paz *in praxi* , 1. *part. annotat.* 4. *de procurat.* Et licet jure communi attento dubium esset inter juris Interpretes , utrum sufficeret probare mandatum per testes , an vero necessario defideraretur probatio per instrumentum ipsum , ut constat ex traditis a glossa in præsenti , *verbo Portitoribus* , Mascardo *de prob. concl.* 113. *nu.* 1. & aliis congestis a Barb. *in præsenti* , *n.* 30. tamen hodie attento jure nostro Regio certum est , desiderari instrumentum mandati in publicam formam redactum , ut pluribus relatis probat Parexa *de instrum. edit. tit.* 5. *resol.* 10. *n.* 6. nec sufficit tabellionem fidem facere , se legisse mandatum ipsum , ut resolvunt Paz *in d. leg.* 16. *styli* , *scholio* 1. *n.* 5. Parexa *d. resol.* 10. §. 10. & si omissa editione mandati procurator in judicio adfuerit , ab eo acta domino præjudicium non afferunt , *d. leg. si procurator* , *leg.* 10. *tit.* 5. *partita* 3. Paz *in praxi* , *d. annot.* 4. *n.* 7. nec sufficit quodlibet mandatum edere, sed desideratur sufficiens , & legitime confectum, servatis solemnitatibus præscriptis *in l.* 14. *tit.* 5. *leg.* 54. 97. 98. *tit.* 18. *partita* 3. *leg.* 13. & 45. *versic. Poderes* , *tit.* 25. *lib.* 4. *recopil.* idest , ut circa falsitatis suspicionem legitime coram publico tabellione fit confectum ; & ut datum sit ab eo , qui procuratorem constituere potest ; idest, qui legitimam personam standi in judicio habet ; nam servi, & alii, qui in judicio stare nequeant , non possunt procuratorem constituere, *leg. nec tutores* , §. *pupillus* , *leg. non eo* 10 *minus* , *Cod. de procurator. cap. finali* , *de judiciis in* 6. deinde ut procurator ejus ætatis , & qualitatis sit , ut in judicio esse possit , & ut causa procuratorem admittat, idest ut per alium tractari possit : quæ , & alia requisita latius prosequuntur Mancius *integro tract. de procur.* Osualdus *lib.* 18. *Donelli* , *c.* 12. Parexa *d. res.* 10. *per totum* .

10 Traditur ratio decidendi.

Quibus ita animadversis apparet jam vera ratio præsentis assertionis; nam cum procurator, qui mandatum non habet, prorsus extranea persona sit , cum qua reus nullum negotium gessit , inde nullam actionem habet , qua ipsum in judicio convenire possit , *l. si pupillis* 3. §. *ultim. ff. de negotiis gestis* : quare desideratur mandatum , ut ejus virtute ex persona domini reum ad judicium trahere possit : quare in principio litis mandatum exhibendum est , Symmachus *l.* 10. *ep.* 32. ibi : *In ipso limine quæstionis , cum procuratio , quam C. F. senior Marciano mandaverat , invalida diceretur , defensio partis adversæ negavit stare personam , cujus procurationem superioris gesta judicii non tenerent ; contra non exactam prius recitationem audiebat* . Et quia mandatum est quid facti , & per consequens non præsumitur, nisi probetur, *l. in bello* 12. §. *facti* , *ff. de captivis* , *l. quicunque* , *ff. de publicianà* , *c. si forte* , *de electione l.* 6. late probant Giurba *consil.* 91. *n.* 17. Avendanno *de metu d. c.* 26. *n.* 3. ideo Gregorius in præsenti juxta legitimas sanctiones , ut ipse faretur, decrevit non posse procuratorem Episcopi in judicio admitti absque ejus mandato legitime confecto , & cum solemnitate ab utroque jure requisita.

11 Dissolvitur dubitandi.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta ; nam verum est , pro reo absente defensorem admitti sine mandato, non vero pro actore, *leg. minorem* 51. *l. is cujus* 64. *l. Titius* 76. *ff. de procurat. leg. liberto* 31. §. *item* , *ff. de negotiis gestis* , *leg. tutori* , *C. eodem tit. leg. nam postea* 9. §. 6. *l. jusjurandum* 34. §. *procurator* , *l. qui hominem* 34. §. *si gener* , *leg. si quis* 58. *ff. de solut.* Nam licet defensor procuratori similis sit , *leg. Pomponius* , §. 1. *leg. Plautius* 61. *ff. hoc tit.* tamen hujus discriminis ratio redditur *in l.* 1. *ff. de negotiis gestis* , videlicet quia magna pericula fortunis absentium imminent, qui divinare non poterant, quando in judicio conveniendi erant : unde quilibet potest defensionem absentis suscipere. Accedit, nam defensor rei judicio conventi semper meliorem ejus conditionem reddit , non deteriorem ; actoris vero conditionem non semper meliorem reddit procurator pro eo agendo , & quilibet potest alterius conditionem facere meliorem , non vero deteriorem , *l. solvendo* 39. *ff. de negotiis gestis* , *l. solutione* 23. *ff. de solut.* Donellus *d. l.* 28. *cap.* 12. *in principio* . Quare non ita in defensore , ac in procuratore desideratur mandatum . Nec obstat augmentum ipsius difficultatis ; nam sunt aliqui casus, in quibus absque mandato potest quis pro alio actionem in judicio proponere, ut cum Canonici pro juribus Ecclesiæ suæ agunt; possunt enim absque mandato in judicio eo casu comparere , *cap. coram* 34. *de officio delegati* , *l.* 2. *Cod. de consortibus ejusdem litis* : quo casu accipiendus est textus *in cap. cum M. de constit.* Monachi in causis sui Monasterii , *c.* 4. *de confirmatione utili* , *cap. solita* , *de censibus* : conjunctæ personæ pro conjunctis, veluti liberi pro parentibus, fratres pro fratribus, maritus pro uxore , nisi aperte repugnet voluntas eorum, pro quibus agunt, *cap. nonnulli* 28. §. *sunt* , & *alii* , *c. ex parte* 33. *de rescriptis* , *cap. constitutis* 8. *de in integr. restitut. leg. si quis* 3. §. *sed si forte* , *ff. judicatum solvi* , *leg. sed & ha* 35. *leg. Pomponius* 40. §. *fin. ff. hoc tit. leg. exigendi* 12. *l. si maritus* , *C. eodem tit. leg.* 10. *tit.* 5. *partit.* 3. dummodo de rato caveant , *leg. non solum* 30. §. *si de dote* , *ff. hoc tit.* docent Bronchorst. *miscellan. cent.* 1. *assert.* 27. Covar. *lib.* 1. *var. c.* 6. *n.* 5. Cancerius *l.* 2. *var. cap.* 14. *n.* 137. Osuald. *d. c.* 12. *litt. H.* Socius in causa communi socii , *cap.* 1. *de rest. spol. cap. cum olim* , ubi glossa , *verbo Exceptione* , *de testib.* Nam conjunctæ hæ personæ tacitum creduntur habere mandatum ex conjunctione, & affectione personarum , quæ facit , ut nulli libentius credatur mandatum . Faber *in d. leg. sed* , & *ha* 35. §. *ult.* Donell. *d. cap.* 12. non tamen sunt veri procuratores , *d. leg. si quis* 3. §. 3. Osualdus *lib.* 18. *comment. cap.* 14. *litt. B.* alias non præstarent cautionem ratihabitionis , & sententia pro eis dicta non prodesset , nec contraria noceret domino litis, nisi ab ipsis gestum ratum habeant , *l. nec filium* 7. *C. de rebus creditis* , Cancerius *ubi proxime* , *n.* 256. & ideo tamquam convicti in judicio adesse debent ; nam si agant , ut procuratores, si non doceant de mandato, non sustinetur processus, ut docent plures relati a Barbosa *in cap. nonnulli* , *n.* 17. *de rescriptis* ; in causis vero, in quibus desideratur speciale mandatum , an conjunctus pro conjuncto audiatur , exponemus *in c. constitutus* , *de in integrum restitutione* . Nec obstat secunda difficultas supra adducta , pro cujus solutione discrimen constituendum est inter actus, qui spectant ad officium, & dignitatem Episcopi , & inter eos , qui non pertinent ad Episcopalia munia: in primis fides adhibetur litteris Episcopi proprio sigillo munitis , *d. cap. post cessionem* ; secundo vero casu desideratur solemnitas a jure præscripta , quo casu procedit præsens textus , quem ita accipiunt Abbas , Decius , Ripa, & Mascardus, quos refert, & sequitur Angujanus *l.* 1. *de legibus* , *cap.* 6. *n.* 51. juxta quam distinctionem accipiendus est textus *in cap. significavit* 48. *de appell.* ubi constitutio actoris sigillo Capituli signata , cum Capitulum eo sigillo tantum ad citationes uteretur, non sufficit, ut authenticum reddatur instrumentum constitutionis procuratoris ; quia licet eo sigillo signata instrumenta authentica censerentur quoad alios actus, videlicet citationes ; non tamen authentica credebantur ad mandatum actoris legitime conficiendum . Sed apud peten-

petentes id præsenti non constat, quare Gregorius in præsenti mandato Episcopi ad procuratorem constituendum exigat subscriptionem Presbyterorum, seu Diaconorum suæ Ecclesiæ, cum certum sit, Prælatum posse agere, & constituere procuratorem in causis suæ Ecclesiæ absque Capituli mandato, *cap. audiri* 8. *cap. petito* 9. *hoc tit. cap. cum causam* 6. *cum sequenti*, *de juramento calumniæ*, *cap. edoceri*, *de rescriptis*; nisi causa ita ardua sit, ut irrequisito Capitulo expediri nequeat, *cap. quanto*, *cap. novit*, *de his*, *quæ fiunt a Prælatis*; vel spectet communiter ad Prælatum, & Capitulum, *capit. fin. de majorit. & obed.* In qua difficultate Innocentius *in d. cap. edoceri*, existimavit, consensum Presbyterorum in præsenti desiderari, non quia illi præstent auctoritatem, & solemnitatem mandato, sed tamquam testes subscribant instrumento. Sed hæc solutio facile refellitur ex eo, quia Gregorius ultra Presbyteros alios testes exigit: quare ea omissa, Hostiensis in præsenti, *n.* 7. Butr. *n.* 20. referunt textum hunc ad casum, in quo, quia causa ardua erat, vel quia communiter spectabat ad Episcopum, & Capitulum, desiderabatur Capituli consensus; sed verius credo, subscriptionem Presbyterorum, & Diaconorum in præsenti casu non esse referendam ad subscriptionem Canonicorum, seu Capituli; sed potius ad subscriptionem eorum Diaconorum, & Presbyterorum, qui ut testes vitæ Episcopi, illi aderant, de quibus supra egi.

12 Exponitur cap. coram 34. de officio delegat.

Sed præsenti assertioni primo obstat textus *in c. coram* 34. *de officio delegati*, in illis verbis: *Absque litteris de ratihabitione ad Apostolicam Sedem accesserat, sed de rato caverat*. Ex quibus expresse deducitur, offerentem cautionem, seu satisfactionem de rato, etiam absque mandato domini admitti ad agendam in judicio: igitur non recte Gregorius in præsenti affirmat, procuratorem Episcopi fine mandato rite confecto non admitti. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, quod etsi verum sit, non habentem mandatum, etiamsi offerat cautionem de rato, non admitti, si constet ipsum mandatum non habere, *l. Pomponius* 40. §. *fin. ff. de procurat. l.* 1. *Cod. eodem*, Ossialdus *dict. c.* 12. *littera G.* si tamen sit incertum mandatum, & procurator caveat filejussoribus datis, rem ratam dominum habiturum, admittitur ad agendum, *l. non solum* 30. §. 1. *ff. hoc tit. l.* 2. *C. de consortibus ejusdem litis*, *l. quod si*, *ff. de minoribus*, *l. nec satisdatio* 21. *ff. rem ratam haberi*, *l. un. C. de satisdando*, §. 3. *Instit. de satisdat. l. servum* 33. §. *fin. ff. hoc tit. l.* 1. *C. eodem*, *l.* 11. §. *utrum*, *l.* 66. §. 1. *ff. ad Trebel.* Faber *l.* 18. *conject. c.* 7. Bronchorst. *cent.* 1. *miscel. assert.* 26. Besoldus *in delibat. juris ex l.* 3. *Pandect.* §. 13. *fol.* 287. Covar. *l.* 1. *var. c.* 4. Unde cum Canonicus in causa propriæ Ecclesiæ habeat præsumptum mandatum, licet non expressum obtineat, si offerat cautionem de rato, admitti debet, etiam ad agendum: quare cum textus in *d. c. coram*, loquatur de Canonico in causa propriæ Ecclesiæ admittendo, ipseque offerret cautionem de rato, ideo ait Pontifex, ipsum admittendum esse. Qua etiam solutione exponendus est textus *in c. cum dilectus* 8. *de religiosis domibus*, in illis verbis: *Cum nuntius Monasterii super procuratione, vel ratihabitione litteras non haberet*. Ex quibus deducitur ad procuratorem constituendum in judicio sufficere, vel mandatum super procuratione, vel tantum litteras ratihabitionis habere: igitur non semper desideratur mandatum ad constituendum procuratorem, Glossa in eo textu, *verbo Ratihabitionem*, existimat in eo textu litteras procurationis, & ratihabitionis non differre, nec pro diversis recenseri, sed appellari litteras ratihabitionis, quia in eis semper adjicitur, quod dominus ratum habebit. Sed hæc solutio facile refellitur ex disjunctione illa, *vel*, quæ diversum casum significat mandati procurationis, & ratihabitionis. Quare hac solutione omissa dicendum est, in eo textu agi de Monacho agente pro libertate sui Monasterii, qui cum habeat mandatum tacitum, & præsumptum, sufficit, ut afferat litteras ratihabitionis, & ita tamquam procurator ipsius Monasterii admittitur.

13 Exponitur text. in c. cum olim, de testibus.

Secundo præsenti assertioni obstat textus *in c. cum olim* 34. *de testibus*, ubi Archidiaconus admittitur in judicio ad agendum super statu certæ Ecclesiæ absque mandato: igitur quia fine mandato legitimo potest quis in judicio, ut procurator admitti. Pro cujus difficultatis solutione Glossa ibi, *verbo Exceptionem*, asserit Archidiaconum in ea specie admitti ad agendum, donec ab adversario repellatur per exceptionem defectus mandati. Etiam solet responderi, Archidiaconum in ea specie egisse pro juribus suæ dignitatis, licet in consequentiam jura Ecclesiæ allegaret, asserendo eam liberam esse, quo casu absque mandato Episcopi audiri poterat, *c. cum venisset*, *de instit.* Sed hæc solutio non convenit litteræ ipsius textus, siquidem ex ea constat, ibi litem agitari principaliter inter eum Archidiaconum, & Archiepiscopum Cantuariens. super statu Ecclesiæ Men. Aliter satisfacere intendit Innocen. *ibi*, *n.* 3. Quibus solutionibus omissis dicendum est, in ea specie Archidiaconum sine mandato admitti, quia Archiepiscopus negligens erat in defendendis juribus ipsius Ecclesiæ; quo casu Archidiaconus, vel quilibet alius de Capitulo poterat jura ipsa defendere, etiam contradicente Episcopo, *cap. cum ex litteris* 5. *de in integrum rest.* quia tunc non admittitur, ut procurator, sed eo jure, quo admittuntur conjunctæ personæ pro conjunctis, juxta supra tradita.

14 Adducitur c. nonnulli 28. §. *sicut*, *de rescriptis*.

Tertio præsenti assertioni obstat text. *in c. nonnulli* 28. §. *sicut*, *de rescriptis*, ubi noviter Conc. Lateranensi cavetur, ne quis possit absque mandato impetrare rescriptum gratiæ, seu justitiæ: igitur ante tempora Concilii Lateran. & per consequens nostri Gregorii M. temporibus, procurator in judicio fine mandato ad agendum admittebatur. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, olim ante tempora Concilii Later. procuratorem admitti ad impetrandum rescriptum, tam gratiæ, quam justitiæ; quia cum per talem impetrationem nulla litis contestatio daretur, nec citatio partis desideraretur, ideo absque mandato procuratores rescriptum impetrare poterant, ut probavi *in comment. ipsius textus*, ubi alia pro ipsius expositione adduxi.

15 Exponuntur c. 1. de transact. c. 1. de rest. spol.

Deinde præsenti assertioni opponi potest text. *in c. contingit* 3. *de transact.* ubi Prælatus cujusdam Ecclesiæ conventualis transactionem fecit cum adversario super controversia in judicio agitata sine mandato, præstita dumtaxat cautione ratihabitionis; igitur quia absque mandato potest quis in judicio pro alio comparere. Agnovit difficultatem Glossa ibi, & affirmat, Prælatum posse in ea specie transactionem facere, quia in mandato generali a Capitulo dato adjecta fuit clausula de rato, qua Capitulum promiserat ratum habere, quod Prælatus gereret in negotio; cujus virtute etiam facultas transfigendi data videtur. Verum hæc solutio communiter refellitur a repetentibus ibi: quare eadem glossa rectius affirmat, Prælatum in eo casu speciale mandatum habuisse cum speciali mentione transactionis, & ita ejus ratione potuisse Prælatum transactionem facere. Etiam responderi poterat juxta tradita, procedere in mandato præsumpto, præstita cautione de rato; quo casu novum mandatum non desideratur. Etiam opponi potest text. *in c.* 1. *rest. spol.* ubi Diaconus in causa spoliationis admissus fuit in judicio fine mandato propriæ Ecclesiæ: igitur quia absque mandato potest procurator in judicio comparere. Cui difficultati, ut satisfaciant Panorm. & alii repetentes, affirmant in eo textu Diaconum mandatum habuisse Ecclesiæ, & Philagrii, ut posset agere pro re violenter ablata. Sed ea solutione omissa verius dicendum est, Diaconum in ea specie potuisse agere pro rebus Ecclesiæ ablatis, quia tunc suo nomine ad utilitatem Ecclesiæ agere potest, *cap. si quis Presbyterorum*, *de reb. Ecclesiæ*, *c. cum dilecti*, *de exceptionibus*; quia illius interest, ut salva sint jura propriæ Ecclesiæ: quomodo etiam procedit text. *in c. constitutus* 8. *de in integrum restit.* etiam absque mandato Philagrii cæci, quia præsens erat: quare etsi non expressum, tacitum tamen mandatum habere præsumitur ex eo, quod eo præsente, & consentiente in judicio Diaconus comparuit, quæ patientia licet in procuratore ad negotia sufficiens esset ad inducendum mandatum, *l. qui patitur* 13. *ff. mandati*. *l.* 6. §. 2. *ff. hoc tit.* tamen in procuratore ad litem non sufficit, ut probat Mancius *de procurat. n.* 190. quare in ea specie Philagrii præsentia non sufficiebat, nisi simul Diaconus ageret pro utilitate propriæ Ecclesiæ.

CAPUT II.

a Alexander III.

QUerelam A. Clerici accepimus, quod cum ven. f. n. Vvigorn. Episcopus causam, quæ inter ipsum, & *b* Salesberien. Episcopum super Ecclesia de Bribec, de mandato nostro suscepisset fine debito terminandam; tandem quia idem Clericus *c* termino constituto suam ei præsentiam exhibere non potest, pro eo, quod erat infirmitate detentus, sicut per quemdam Presbyterum, & Diaconum, quos ad præsentiam ipsius Episcopi miserat, paratus erat probare, eumdem A. in restitutione expensarum, quas R. Lexion. Archidiaconus pro causa ipsa ad diem ipsum tunc veniendo fecerat, condemnavit. Mandamus itaque disc. v. atque præcipimus, quatenus, si præfatus Episcopus eumdem A. juxta mandatum nostrum a præscripta sententia non absolverit, vos rei veritate diligentius inquisita, si constiterit vobis, quod prædictus Episcopus præfatum A. in restitutionem ipsarum expensarum pro alia rationabili nulla causa condemnaverit, nisi pro eo tantum, quod termino constituto ad ejus præsentiam non accessit infirmitate detentus; cum non possit quis cogi, nisi velit, in gravibus causis procuratorem constituere, & cum ipse ad probandum infirmitatem suam *d* Presbyterum, & Diaconum destinaverit, auctoritate nostra, subl. ap. rem, ab eadem sententia absolvere eum minime differatis.

NOTÆ

NOTÆ.

1 2 A *Lexander III.*) Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 1. nullibi tamen exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex; litteram tamen textus ex eadem collectione transcribo, & ex principio ipsius textus constat, Pontificem non per viam appellationis, sed per modum querelæ aditum fuisse, ut *in c. querelam*, *de jurejur. c. querelam*, *de simonia*, *c. querelam*, *ne Prælati vices suas*.

2 b *Salesberien.*) Legendum est *Sarisbarienses*; præsens enim causa vertebatur cum Joanne Sarisbariensi Episcopo Carnotensi, qui floruit temporibus Alexandri III.

c *Termino constituto.*) Debet enim judex delegatus partibus certum diem præfinire ad comparendum coram ipso, *c. præterea* 5. *de officio delegati*, ubi dixi.

3 d *Presbyterum.*) Non ut procuratores, vel ut defensores litis, sed ut excusatores absentiæ, qui magnopere differunt ab illis; defensores enim ad litis, seu causæ defensionem constituuntur, excusatores vero, ut absentiæ causam tantum referant, & coram judicibus proponant, *c. cum olim* 34. *de testibus*: docent Parladorius *l.* 1. *rerum quotid. c.* 10. *n.* 1. Mancius *de procur. tit.* 3. *n.* 20. Unde feminæ, & minores, qui tamquam procuratores in judicio non admittuntur, tamquam excusatores recte designari valent, *l. Servum* 33. §. 2. *ff. hoc tit.* de eis agit Rebuffus *ad leg. Gallia*, *tit. de executoribus*.

COMMENTARIUM.

4 Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Ob infirmitatem in judicio non comparens, nec procuratorem constituens, non debet ideo condemnari in expensis*. Probant eam text. *in c. placuit* 1. 18. *dist. c. juxta*: 93. *dist. c. præsentium* 7. *q.* 1. *c. tenor*, ubi Glossa *verbo Infirmitate*, *de re judicata*, *c. cum Bertholdus*, *de re judicata*, *c. ex parte* 47. *cap. si duobus*, *de appellationibus*, *l.* 2. §. 1. *ff. si quis cautionibus*, *l. in exceptionibus*, §. 1. *ff. de prob. l. si Prator* 25. §. *Marcellus*, *ff. de judiciis*, *l. si finita* 15. §. *si forte*, *ff. de damno infecto*, *l. contumacia*, *l. quæsitum*, *ff. de re judicata*: illustrant ultra congestos a Barbosa *in præsenti*, Canisius *ad hunc textum*, Germonius *de sacrorum immunit. l.* 2. *c.* 19. *n.* 56. Balboa *in c.* 2. *de except. num.* 71. Hunnius *in encyclop. tit.* 38. Mancius *de procuratoribus*, *tit.* 3. *n.* 62.

5 Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Reus ad judicium vocatus, per se, aut per procuratorem in judicio comparere, & respondere cogitur, *l.* 1. *ff. hoc tit. l. fin.* ibi; *Si ita maluerit*, *C. eod. l.* 1. *ff. de diversis*, *& tempor.* nec ob infirmitatem excusatur, unde lege 12. Tabul. circa reum in judicio vocatum, & adversa valetudine captum cavebatur, ut jumento veheretur. Verba ipsius legis hæc sunt: *Si morbus, ævitasve vitium sit, qui in jus vocavit, jumentum dato, si nollet, arceram ne sternito*. Ex Aulo Gellio, & aliis referunt Jacobus Gothofredus *in quatuor fontibus*, Revardus *ad leg.* 12. *Tab. c.* 15. igitur qui tantum ob morbum in judicium non comparet, tamquam contumax in expensis damnari debet. Accedit, nam etsi infirmitas excusaret ægrotum a comparendo personaliter, non tamen a constitutione procuratoris, cum etiam ab ægroto constitui possit; imo ideo procuratorum usus, ut valdo necessarius, introductus fuit, ut qui morbo, ætate, seu absentia in judicio interesse non possunt, per alios agerent, vel se defenderent, *l.* 1. §. *usus*, *ff. hoc tit. principio Instit. de his per quos agere*: igitur recte in præsenti specie Episcopus Vvigorniensis Ap. Sedis delegatus reum, qui nec personaliter in judicio comparuit, nec procuratorem constituit, in expensis condemnavit.

6 Nemo cogitur procuratorem constituere.

Qua dubitandi ratione minime obstante, vera est præsens assertio, cujus rationem, ut percipiamus, scire oportet, neminem cogi in judicio procuratorem dare, seu constituere, sed tantum reum citatum, & judicio conventum, debere per se, vel procuratorem se defendere, *l. fin. versiculo*, *si ita maluerit*, *c. hoc tit.* ex præsenti textu docent Cardoso *in praxi*, *verbo Procurator*, *n.* 17. Vega *in c. intelleximus* 7. *nu.* 15. *de judiciis*, ubi etiam Permosinus *q.* 25. *n.* 1. nisi sit persona illustris, *l. quicumque* 25. juncta authentica sequenti, *C. hoc tit. novella* 71. *Justin.* ubi Cujacius, *l.* 11. *tit.* 5. *partit.* 2. docent Osuald. *l.* 18. *Donelli*, *c.* 1. *litt. M.* Pacius *cent.* 1. *q.* 45. vel minor, *l.* 2. *C. de accusat.* vel si jure minoris utatur, ut *in d. c.* 2. *vers. Sed judices*, *de in integr. restit.* Nec contrarium probat text. *in d. c. intelleximus*, *de judiciis*, in illis verbis: *Debet procuratorem constituere*. Ubi si attendatur proprietas verbi, *debet*, quod importat necessitatem, Glossa *in Clem. Attendentes*, *de statu Monach.* late probat Barbosa *de dictionibus*, *verbo Debet*. Deducitur excommunicatum teneri procuratorem constituere. Nam omissis solutionibus relatis, & rejectis a Balboa *in c.* 2. *de except. n.* 71. dicendum est, quod licet verbum, *debet*, aliquando importet necessitatem; tamen plerumque decentiam, & quod magis congruum videtur, significat. Glossa *in cap.* 1. 15. *q.* 1. *& in c.* 1. *de desponf. impub.* quo modo verbum, *debet*, accipitur *in c. quia Episcopus* 5. *qu.* 3. ut docuerunt *in c. fin. de juramento calumn.* Bellamera *n.* 6. Butrius *n.* 6. Panorm. *n.* 4. Unde si excommunicatus potest per idoneam personam in judicio defendi, debet procuratorem constituere; si vero personam idoneam non habeat, per quam defendatur, potest per se exceptiones coram judice opponere, ut docent Gibal. *de cens. disquis.* 7. 98. *pag.* 275. Ricciulius *l.* 4. *de jure person. c.* 37. Hoc tamen principium, videlicet neminem cogi procuratorem constituere, procedit, ut in hoc textu animadvertitur, in causis gravioribus, ut libertatis, honoris, seu majoris partis bonorum, *c. frequens*, §. *illum*, *de restit. spol. l.* 6. secus vero in causis levioribus, in quibus strictius juris ordo attenditur, authentica *nisi breve*, *C. de sententiis*, *& interloc.* aut in quibus magnum dispendium vertitur; in eis enim potest compelli reus procuratorem constituere, *novel.* 71. *Justiniani*, *c.* 1. §. 2. post Innocentium, & Panormitanum docet Canisius *hic*, *n.* 8.

7 Contumax ponitur in expensis.

Secundo præmittendum est, inter alias pœnas, quibus plectitur, compelciturque contumacia illius, qui in judicio conventus, & citatus comparere contumaciter renuit, quas recensebimus *in c.* 1. *de dolo*, eam præcipuam esse, solutionem videlicet, seu refusionem expensarum, nec antea comparentem audiendum esse, aut absolvendum ab excommunicatione propter contumaciam inflicta, *ex c.* 1. *de judiciis*. *c. tua* 3. *c. quoniam* 5. §. *in aliis*, *ut lite non contestata*, quam si prius refundat expensas, *c. venerabilibus*, §. *porro*, *& §. sane*, *de sent. excom. c. cum dilecti* 6. *de dolo*, *& contum. c.* 1. *eod. tit. lib.* 6. *l. properandum*, §. *sin autem*, *l. ex gestis*, §. *huiusmodi*, *l. sancim.* 12. *C. de judiciis*, *l.* 5. *tit.* 3. *l.* 4. *recap.* ubi Azevedo: Donellus *l.* 26. *comment. c.* 3. Guttier. *l.* 1. *pract. q.* 135. Pichardus *in* §. 1. *Institutæ de interdictis*, *c.* 1. *n.* 75.

8 Traditur ratio decidendi.

Quibus ita animadversis, apparet jam ratio præsentis decisionis; nam cum A. non comparuisset in jus vocatus propter morbum, adversamque valetudinem, recte excusatur a contumacia, nec ob eam in expensis damnari debet. Infirmitas enim, seu adversa valetudo excusat ab omni contumacia, quia nullum majus impedimentum evenire potest reo in jus vocato, quam morbus; unde ægrotum a contumaciæ pœnis immunem esse, docetur *in l. si Prator* 75. *in fine*, *ff. de judiciis l. contumacia* 53. §. 2. *l. si quæsitum*, *ff. de re judic.* & Ulpianus *in l.* 1. §. *si quis*, *ff. si quis cautionibus*, inter deserti vadimonii justas causas primo loco proponit adversam valetudinem; quod & probat Seneca *l.* 4. *de beneficiis*. Nec novum est in jure, ut propter morbum quis excusetur ab actibus judicialibus; cum enim IC. Arrianus *in l.* 4. §. *ult. ff. de re militari*, docuisset, milites ad delectum non respondentes, ut proditores libertatis in servitutem redigi, adjecit militem emansorem ob adversam valetudinem excusari, quod & docuerunt Aulus Gel. *l.* 11. *noctum*, *c.* 3. Polybius relatus a Balduino *ad leg.* 12. *Tab. c.* 42. & Modestinus *in l. scire* 13. §. *si enim* 7. *ff. de excusat. tut.* qui dum enumerat causas, propter quas tutores excusantur, qui intra tempus a jure præscriptum excusationum causas non proposuerunt, primam adversam valetudinem recenset. Et Consulti *in l. si longius* 18. *ff. de judiciis*, *& in l. licet autem* 15. *ff. de receptis*, Decemviros sequuti responderunt, arbitros ob ægritudinem excusatos esse a sententia proferenda; & qui gravi morbo oppressus domino occiso succurrere non potuit, excusatur a pena Syllaniani, *l. si quis gravi*, *ff. ad Syllanianum*, & qui profectus reipublicæ causa incidit in infirmitatem, itaut redire non possit, pro præsente habetur, *l. si quis in Provincia*, *in fine*, *ff. ex quibus causis majores*: & qui propter adversam valetudinem judicium in alium transtulit, non incidit in edictum de alienatione judicii, *l.* 4. §. *si quis* 3. *de alienatione judicii*. Accedit, quod Livius refert *l.* 32. his verbis: *Cum Chalcidensium Legatus pedibus captus lectica esset introductus Romæ, vitam esse rem ultimam necessitatis, in qua ita affecto excusatio valetudinis, aut neque ipse quidem petenti visa foret, aut data petenti non esset*. Cum ergo in præsenti casu A. ob infirmitatem, quam contraxerat, contumax dici non posset, quia legitime impeditus erat, & nemo teneatur per procuratorem se defendere, ideo asserit Alex. III. ipsum tamquam contumacem expensas refundere non debere.

9 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat difficultas supra expensa ex leg. 12. Tab. quam legem nimis humaniter scriptam existimavit Favorinus relatus, & rejectus ab Aulo Gellio *ubi supra*, his verbis: „ Populus R. illud quoque non humaniter scriptum improbavit, quod si homo in jus vocatus morbo, vel ætate eget, „ & ad ingrediendum invalidus est, arcera non sternitur, sed „ ipse aufertur, & jumento imponitur, atque ex domo sua „ ad Prætorem in convitium nova funeris facie affertur. „ Quam enim ob causam morbo affectus, & ad respondendum pro se non idoneus, jumento adhærens in jus adversario deportatur? „ Hæc Favorinus contra hanc legem XII. Tab. differens. Cui ita respondit Cæcilius: „ Cur tibi visa „ est inhumana lex, & minime quidem sententia humanissima, quæ jumentum jubet dari ægroto, aut seni in jus vocato? Verba sunt hæc: Si in jus vocatus, si morbus, ævitasve vitium sit, qui in jus vocavit, jumentum dato, si „ nollet, arceram ne sternito. Hunc forte morbum appellari „ hic putas ægrotationem gravem, cum febri rapida: & arceram, jumentumque dici putas aliquod pecus unicum tergo „ vehens, ac propterea minus fuisse humanum existimas ægrotum domi luæ jacentem jumento impositum in jus rapi. „ Hoc mi Favorine nequaquam est; nam morbus in lege ista, „ non febriculosus, nec nimium gravis, sed vitium aliquod „ imbecillitatis, atque invalentia demonstratur, non periculum vitæ ostenditur: ceteroqui morbum vehementiorem „ vim graviter nocendi habentem, legum istarum Scriptores „ alio in loco non per se morbum, sed morbum sonticum „ appellant. Jumentum quoque non id solum significat, quod „ dicitur, sed vectaculum etiam, quod adhibitis pecoribus „ trahebatur. Veteres nostri jumentum a jungendo dixerunt: „ arcera autem vocatur plaustrum tectum undique, & munitum, quasi area quædam magna vestimentis vestita, qua „ nimis ægri, aut senes portare cubantes solebant. Quænam „ tibi igitur acerba visa est, quod in jus vocato pauperrimo „ homini, qui aut pedibus forte ægris esset, aut quo alio „ casu ingredi nequiret, plaustrum esse dandum censuerunt. „ Neque sterni tamen delicate arceram jusserunt, quoniam „ satis est invalido ejusmodi vectabulum, quod fecerunt, ne „ cau-

„ causatio ista ægri corporis perpetuam vocationem daret si-
„ dem detrectantibus, jurisque actiones declinantibus. „ Ex
qua diffusa Gellii auctoritate deducitur, verba legis 12. Tab.
esse accipienda de corporis vitio, morbove levi, non gravi,
nec febriculoso; in eo enim casu potius dies differebatur, ut
si morbum sonticum reus patiebatur, hoc est; qui cujusque
rei agendæ impedimento est, *l. 1. ff. si quis cautionibus*, *l. quæsi-
tum*; *ff. de re judicata*; docent, & illustrant prædictum legis
XII. Tab. caput Balduinus *ad leges* 12. *Tab. c.* 42. Revardus *eod.
tr. c.* 5. Duarenus *ad tit. si quis cautionibus*, Cujacius *l.* 69. *Paul. ad
edict. in l.* 5. *ff. eodem*, *& ad Digesta in l. morbus* 113. *ff. de V. S. & l.*
12. *observ. c.* 12. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi ratio-
nis; nam licet possit quis per se, aut per procuratorem in
judicio comparere, & se defendere; non inde infertur, ipsum
cogendum esse procuratorem constituere. Inventus est enim
procuratorum usus, ut cum quis velit per se, aut per procu-
ratorem in judicio agere, possit, abrogatis illis veteribus le-
gibus, quibus prohibetur per alios in judicio comparere. Sed
cum hoc sit introductum in gratiam, & favorem litigantium,
non ideo ipsi cogendi sunt eo beneficio uti, & procuratorem
constituere.

10 Exponitur *c. cum dilecti* 6. *de dolo*, *& contumac.*

Sed præsenti asertioni obstare videtur textus *in c. cum dilecti
6. de dolo*, *& contumac.* in illis verbis: *Quapropter quia dictus ele-
ctus non venerat, nec sufficientem miserat responsalem*, *&c.* Ex
quibus aperte constat, eum qui ob insidias sibi appositas, &
intemperiem excusatus erat a comparendo in judicio; quia
tamen per procuratorem comparere poterat, contumax judi-
catur, & in expensis condemnatur: igitur similiter in præsenti
casu, qui ob infirmitatem judicio adesse nequibat, quia tamen
procuratorem designare valebat, in expensis damnandus erat.
Cui difficultati varias adducit solutiones glosa, ibi, verbo
Responsalem, quibus omissis respondendum est, in ea specie
electum cogi per se, aut per procuratorem in judicio com-
parere, quia agebatur de causa electionis, quæ petit celeri-
tatem, *c. ubi periculum, de elect. in* 6. ut sic Ecclesiæ viduatæ ci-
tius de pastore provideatur. Accedit, nam in eo textu ele-
ctus citatus fuit, ut compareret per se, aut per procurato-
rem. Unde juxta formam ipsius citationis per se, aut per
responsalem respondere debebat. Qua etiam solutione intelli-
gendi sunt text. *in c. dilectus, de appel. c. bone*, 2. §. *ad ipsam de electione.*

11 Explicatur *c. Episc.* 18. *dist.*

Deinde opponi potest text. *in c. Episcopus*, 9. *dist.* in illis ver-
bis: *Episcopus ad Synodum ire non tardet, nisi satis gravi necessi-
tate inhibeatur, sic tamen, ut in persona sua legatum mittat*. Ex
quibus aperte deducitur, eum qui impeditus est venire ad
Synodum, teneri procuratorem constituere; igitur quia ad-
versa valetudine captus tenetur per se, aut per procurato-
rem in judicio comparere. Pro cujus difficultatis solutione
sciendum est, Episcopum ad Synodum vocatum teneri veni-
re, aut Legatum suum, seu nuntium mittere, *c. propter* 4. *c.
non oportet* 5. *c. pervenit* 6. *& per totam* 18. *dist. c. si quis in Metropoli-
tano*, *vers. Et si forte*; 63. *dist.* Concil. Aurelianense 2. *can.* 1.
Turon. 2. *can.* 1. Matiscon. 2. *can.* 20. Emeriten. *can.* 5. & 7.
plura Ant. Aug. *in epitome juris*, *l.* 4. *tit.* 65. Unde etsi sit in
gravi infirmitate detentus, tenetur Legatum mittere; tum ut
excusationem ipsam Patribus proponat: tum etiam, ut tam-
quam Legatus ipsius in ipsa Synodo suffragium præstet; quare
recte *in d. c. si Episcopus*, statuitur Episcopum adversa valetu-
dine captum, teneri Legatum mittere, quia ex juris dispoſi-
tione præcise ipse ad Synodum venire non cogitur, sed per
se, aut per Legatum in Synodo adesse.

12 Exponitur l. Papinianus ff. de minor.

Tertio opponi potest textus *in l. Papinianus*, *ff. de minori-
bus*, ubi exuli reverso non prorogatur tempus restitutionis,
quia licet per se, dum in exilio erat, adire Prætorem non
posset, tamen per procuratorem restitutionis remedium im-
plorare valebat: igitur ille, qui impeditus est, quominus
per se possit comparere, cogitur procuratorem constituere.
Pro cujus textus expositione, omissis interpretationibus tra-
ditis ab Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 44. dicendum est,
quod licet regulariter impeditus non cogatur procuratorem
constituere, hoc tamen limitatur, nisi impedimentum sit vo-
luntarium, vel alias non probabile, scilicet ex absentis de-
licto proveniens, ut procedit in relegato; hic enim ab onere
constituendi procuratorem non excusatur, *l. sed etsi* 26. §.
adversus, *digest. ex quibus causis majores*: docent Mysinge-
rus *lib.* 1. *observ. capit.* 43. Mancius *de procuratoribus*, *tit.* 3.
num. 65.

C A P U T III.

a Clemens III.

EX insinuatione Archidiaconi *b* Sag. accepimus, quod cum inter ipsum, & Magistrum G. super quadam præben-
da *c* Lexov. Ecclesiæ controversia mota fuisset, eidem Magistro propter hoc ad Sed. Apost. accedenti, G. de
Coron. procuratorem ipsius Arch. se gerens ad illam causam constitutum, cum quibusdam litteris de ratihabitione,
prout dicebat, se opposuit. Cum autem aliquantulum in causæ cognitione processum fuisset, licet ab eodem Archi-
diacono procuratori suo duobus Clericis præsentibus expresse fuisset inhibitum, ne causæ cognitionem susciperet,
ipse nihilominus in causa procedens, sententiam contrariam reportavit. Ceterum quia alter de prædictis Clericis di-
citur obiisse, mandamus quatenus si per Archidiaconum, & *d* superstitis Clerici juramentum constiterit de præmissis,
sententia contra eum lata nequaquam obstante, prædictæ præbendæ possessionem cum fructibus inde perceptis (si ejus
restitutioni aliud Canonicum non obsistat) auctoritate nostra restitui faciatis eidem. Restitutione vero facta, si Ar-
chidiaconus ipse suam Canonicam institutionem probare potuerit, ipsam ratam permanere, appell. postposita decernatis.

NOTÆ.

1 a *Clemens.*) Ita etiam legitur in 2. collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. etsi nullibi exprimatur, quibus Prælatis rescribat Pontifex.

b *Sagiensis.*) Sagiensis, seu Sariensis Civitas, est Galliæ, quæ habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepi-
scopi Rhotomagensis, cujus initium, & progressum referunt Ægidius Bridorminius *in ejus historia*; Chenu *in serie Præ-
sulum ipsius Ecclesiæ*, auctores Galliæ Christianæ *tomo* 3. *fol.*
910. Ejus Ecclesiæ mentio etiam fit supra *in c.* 35. *de rescriptis*.

c *Lexoviensis.*) Lexoviensis Ecclesia etiam est in Gallia, de qua egi *in c.* 8. *de officio Ordin.*

d *Superstitis Clerici.*) Quando testimonio unius testis fides adhibenda sit, exponemus *in c. veniens* 1. *de testib.*

C A P U T IV.

a Innoc. III. *Cabilon. & Cathalaun. Episcop.*

IN nostra præsentia *b* Tullen. Episcopus est conquestus, quod cum ad causam, quæ inter ipsum, & Decanum Tul-
len. super dilapidatione, excommunicatione, & perjurio, ac quibusdam aliis criminibus vertebatur, T. & G. Pres-
byteros *c* procuratores instituens, ipsos ad Sed. Apost. duxerit destinandos; cum de ipsorum fide postmodum titu-
basset, mandatum quod eis dederat, intra modicum temporis spatium revocavit: sed ipsi licet mandati litteras revo-
catorias recepissent, nihilominus in negotio processerint, & pro procuratoribus se gerentes, cum adversario ingressi
judicium, cum eo ad Parisiensem Archidiaconum, & collegas suos, in ejusdem præjudicium nostras litteras impetra-
runt: quoniam citatio licet eidem Episcopo minime fuerit præsentata, cum tamen ad ejus notitiam devenisset, quod
eisdem erat causa commissa, quæ inter ipsum, & dictum Decanum, & Archid. vertebatur, ad eorum præsentiam ve-
nire properavit. Cumque prædictus Episcopus ad probandum, quod falsi procuratores fuerant, ab ipsis judicibus in-
ducias postulasset, ipsi exceptionem oppositam inutilem, & supervacuam reputantes, ad probationem ipsius dilatio-
nem concedere noluerunt, propter quod ad appellationis beneficium convolavit. Sed iidem nihilominus lite non con-
testata, & juris ordine prætermisso, testes contra eum recipere præsumpserunt, ipsum a Tullensi Ecclesia per *d* sen-
tentiam removendo. Nos vero licet vix fidem adhibere potuerimus, quod dicti judices, utpote viri litterati, provi-
di, & honesti, taliter processissent, maxime cum in sua relatione, quam ad nostram præsentiam transmisere, de
hujusmodi exceptione nullam fecerint mentionem; quia tamen Episcopus per viros religiosos, providos, & hone-
stos, de quibus non est verisimile, quod suæ salutis obliti, ac juramenti religione contempta, falsum testimonium
tulerint, nobis fecit super his, quæ sunt proposita, plenam fidem: attendentes etiam, quod falsi procuratoris exce-
ptio non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici, utpote qua probata judicium nullum, & nullius
momenti controversiæ reputantur, processum supradictorum judicum sententialiter duximus irritandum.

NOTÆ.

2 a *Cabilon.*) In 3. collectione, *sub hoc tit. c.* 1. tantum legi-
tur, *idem*: inter ep. Innoc. III. Coloniæ editas, & collectas a Sirleto, & datas a Bosqueto; non reperitur textus hic; quare inscriptionem retineo prout reperitur in hac 6. collectione. De Cabilonensi diœcesi nonnulla notavi *in c.* 12. *de reser.* de Cathalaunensi egi *in c.* 5. 7. *de electione*: in præsenti re-
scribit Innoc. Gerardo de Duaço ejus Præsuli; cui etiam re-
scri-

scribit *in cap. ex parte* 13. *de privil.* ut notavit Bosquetus *in
notis ad Innoc. l.* 1. *ep.* 72.

2 b *Tullensis.*) Macheri videlicet de Lorraine, qui depositus fuit ab Innocentio III. de quo Richerius *in chron. c.* 53. ita scribit: „ In illis diebus erat vir quidam Macherus nomine,
„ Imperiali, & Ducum prosapia procreatus, vir satis in prin-
„ cipio suo modestus, elegantis formæ, & bene placens, Ec-
„ clesiæ S. Deodati Præpositus. Episcopo igitur Tullensi de-
„ functo, idem vir Macherus Episcopatus Tullensis Cathe-
„ dram suscepit: interea a Canonicis suis Tullensibus ad ju-
„ dicium vocatur, de Episcopatus dilapidatione arguitur; nec
„ tamen causa per judices valet determinari: ad Papam, qui tunc Innocentius erat, appellatur. „ De Ecclesia Tullensi nonnulla addixi *in c. cum accessissent, de constit.*

c *Procuratores.*) Licet enim Clerici pro laicis procuratores in judicio admitti non debeant, *c.* 2. ubi late Deo annuente dice-
mus, *ne Clerici, vel Monachi*, tamen causas propriæ Ecclesiæ recte
procurare valent, *c. coram* 34. *de off. deleg. c.* 1. *& fin. de postul. c. dile-
ctus, de capellis Monach.* vel etiam causam Episcopi proprii, *l.* 5. *tit.* 5.
partit. 3. docet Salcedo *in praxi*, *c.* 67. quo modo procedit textus.

d *Per sententiam amovendo.*) Hæc verba narrationis esse, non vero decisionis, existimavit Balboa *in c. cum non ab homine* 10.
de judiciis. An perjurus privatus sit ipso jure beneficio, an vero per sententiam amovendus, exposui *in c.* 2. *de rescriptis*.

C A P U T V.

Idem a *Brixien. Episcopo.*

TUæ frat. *Et infra*: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si vir accusat uxorem de crimine adulterii co-
ram *b* judice sæculari ad pœnam *c* legitimam infligendam, quia tunc *d* inscriptionis vinculum debet arripere,
seque ad pœnam talionis adstringere, non per procuratorem, sed per seipsum præsentem oportet præsentialiter ac-
cusare: si vero vir accusare velit uxorem de adulterio coram ecclesiastico judice, ut ab ejus cohabitatione *e* disce-
dat, quia tunc etsi forsan oporteat eum inscribere, ut designet in scriptis *f* nomen, locum & tempus, & omnia,
quæ comprehenduntur in lege civili: ad talionem tamen non debet se aliquatenus obligare, ne forte cum in proba-
tione defecerit, intentionis suæ consequatur effectum: sustineri potest, si necessitas id postulaverit, ut per procura-
torem accuset, quoniam hujusmodi accusatio, etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis, sed quasi *g* mixta in-
ter civilem, & criminalem; quamquam in præsentia principalium personarum securies procedatur.

NOTÆ.

1 a *Brixiensi.*) Ita etiam legitur *in c. tue* 10. *de eo*, *qui cognovit
consang. c. tue* 3. *ut lite non contest. c. tue*, *de sponsal. c. tue*, *de
præbendis*, *c. litteras* 14. *de celeb. Miss.* ubi extant aliæ partes præ-
sentis epistolæ. Brixia est urbs Galliæ Cisalpinæ, a Germa-
nis in Italiam transeuntibus condita, de qua Mantuanus.

Brixia magnorum genitrix animosa virorum.

Habuit Ecclesiam Cathedralem jam a quarto Ecclesiæ sæculo.
Bucelinus *par.* 1. *Germaniæ sacræ fol.* 46. Conrado ejus Præsuli
quadragesimoprimo missa est præsens epistola. Cujusdam con-
ciliabuli in ea Ecclesia celebrati pro depositione Gregorii
VII. Pontificis meminit Abbas Uspergensis ibi: *Ann.* 1080.
*cum apud Brixiam Noricam triginta Episcoporum conventus, necnon
& optimatum exercitus, non solum Italiæ, sed & Germaniæ,
jussu Regis Henrici congregaretur.*

2 b *Judice sæculari.*) Licet enim cum agitur causa matrimo-
nialis quoad divortium, seu thori separationem, tantum co-
ram judice ecclesiastico disceptari possit, *c.* 1. *ut lite non contest.
c. significasti* 4. *c. ex litteris* 5. *de adulteriis*, *c. penult. & ult. eod. tit.* 1. 2.
tit. 9. *partit.* 4. quia cum agatur de viribus matrimonii, tan-
tum coram judice ecclesiastico tractari debet, Germonius *l.* 3.
animad. c. 12. tamen si agatur ad pœnam ob adulterium per-
petratum, tunc quia crimen hoc est mixti fori, locus est præ-
ventioni, & potest judex sæcularis juxta juris dispositiones
pœnas a jure statutas imponere, ut docent cum pluribus D.
Josephus Vela *in c.* 1. *n. p. n.* 39. *de off. Ordinarii* Fermosinus *in cap.
cum sit*, 8. *q.* 9. *de foro compet.*

3 c *Ad pœnam legitimam.*) Quænam sit pœna legitima adul-
terii ex utroque jure, exponemus Deo annuente infra *in c.* 4.
de adulteriis, *& in c. plerumque*, *de donat. inter.*

d *Inscriptionis.*) De hac subscriptione, & ejus effectu age-
mus *in c. super his*, *de accusat.*

e *Discedat.*) Adulterium enim præstat causam divortio quoad
thorum, & mutuam cohabitationem, ut late dicemus *in cap.
mariitis* 3. *de adulteriis.*

4 f *Nomen*, *& locus*, *& tempus.*) Hæc omnia sunt explican-
da, & proponenda in ipsa accusatione juxta formam accusa-
tionis a jure præscriptam *in l. libellorum*, *ff. de accus.* quæ reper-
itur *in c. fin. vers. libellorum* 2. *q.* 8. *l. in causis* 16. *C. de accusat. lib.* 5.
tit. 10. *l.* 4. *fori*, *l.* 14. *tit.* 1. *partita* 7. docent Julius Clarus *l.* 5. *sent.*
§. *ult. q.* 12. Bayo in praxi, *tit. de accus.* Paz *in praxi*, 5. *p. to.* 1. *c.* 3. §. 6.

g *Quasi mixta.*) Eo modo, quo statim exponemus.

COMMENTARIUM.

5 Conclusio deducitur, & probatur.

PRæsentis textus decisio tantum ab specie probari potest *ex
c. penult. hoc tit. in* 2. *collect.* in illis verbis: „ Si matrimo-
„ nii causa possit per procuratorem expediri, nos tua duxit
„ prudentia consulendos. Hic autem decernimus distinguen-
„ dum, quod si in ipsa causa matrimoniali criminaliter quæ-
„ stio ventilatur, & ob eamdem ab adversa parte criminali-
„ ter fit agendum, non per interpositam personam, sed per
„ ipsam personam principalem, causam matrimonii terminari
„ oportet: cum sicut jura testantur, præsens præsentem ac-
„ cusare debeat, & se talionis vinculo obligare. Secus autem
„ in causa matrimoniali, in qua non criminaliter agitur,
„ credimus procedendum; securius tamen ageretur, si cum
„ haberi possit principalium præsentia personarum, ipsis præ-
„ sentibus in utroque ad diffinitionis calculum procedatur. „
Ut tamen latior pateat disputationis campus, sequentem de-
duco assertionem: *In causis criminalibus*, *nec accusator*, *neque
accusatus per procuratorem in judicio comparere possunt*. Probant
eam text. *in c. si quando* 2. *q.* 6. *c. absente* 3. *c. qui accusare* 8. *c. absente*
11. *c. absens* 18. 3. *q.* 9. *c. in criminalibus* 2. *cum seq.* 5. *q.* 3. *c. statuit* 25.
junctis glossis verbo Alter, 1. *q.* 5. *c.* 1. *ut lite non contestata*, *c. examina-
tores*, *de testibus*, *c. veniens* 8. ubi glossa verbo *Defendendo*, *de dolo
& contum. c. veniens*, *c. super his*, 16. *de accus.* Higinus relatus a
Gratiano *in c. criminationes* 2. *q.* 7. quem transcripserunt Lucius
Papa *in epist. ad Episcopos Galliæ*, *& Hispaniæ*, *cap.* 2. Julius
Papa in rescripto contra Orientales pro Athanasio, *can.* 20.
Calixtus *ep.* 7. Stephanus Papa *epist.* 2. *can.* 4. Dionysius Papa
ep. 2. Marcellus Papa *ep.* 2. Damasus *epist.* 3. Conc. Tolet. 6.
can. 11. ibi: *Dignum est, ut vita innocentis nulla maculetur pe-
ste accusatorum. Ideoque quisquis a quolibet criminatur, non an-
tea accusatus supplicio detur, quam accusator præsentetur.* Quem
Canonem retulit Gratianus *in c. dignum* 3. *q.* 9. sed falso tri-
buit Conc. Tolet. 7. ut jam notavit Ant. Aug. *in notis ad Ca-
nones Adriani Papæ*, *c.* 5. Conc. Chaleed. *can.* 1. Vvormatiense
can. 47. Hadrianus Papa in sua Canonum collectione, *can.* 5,
§. *si quis absentem*, *can.* 20. 35. & 41. ex quo emendandus est
text. *in c. si quis* 2. *q.* 6. ubi Canon hic 41. refertur; nam cum
in eo Canone habeatur, *procuratores*, Gratianus transcripsit,
exploratores; quia ita legebatur apud Anselmum *l.* 3. *c.* 88. ut
jam notavit August. *in notitis ad dictum Canonem* 41. *Adriani*,
Heraldus Episcopus Turon. *can.* 84. ibi: *Quod in omni causa
capitali, seu status, non per advocatum, sed per personam sit agen-
dum.* Et *l. penult.* §. *ad crimen*, *ff. de publiciis judiciis*, *l. c. ff. an per
alium causa appellationis*, *l. miles*; §. *ea quæ*, *ff. ad legem Jul. de adult.*
l. servum, §. *publice*, *ff. de procur. l.* 3. *C. de accus. l. tunc convenit* 15.
ff. eodem, *l.* 3. *C. ubi Senatores*, *l. ult. C. de injuriis*, *l.* 2. *C. ad legem
Flaviam*, *l. de fide* 16. *C. ad legem C. de falsis*, Paulus *l.* 5. *sent. tit.* 16.
§. 11. Consonat de jure Regio lex 6. *tit.* 1 *part.* 6 lex 11. *tit.* 5. *par-
tit.* 5. Illustrant ultra congestos a Cenedo collect. 30. *ad decretum*,
Barb. *in presenti*, *& in d. c. veniens* 15. *cap. super his* 16. *de accusat.*
Osualdus *ad Donell. l.* 18. *c.* 10. Vultejus *de judiciis*, *l.* 1. *c.* 7. *nu.* 552.
& disp. juris c. 11. Pachinecus *l.* 1. *controv. c.* 24. 25. & 26. Everardus
Bronchorst. *enantiopb. cent.* 1. *assert.* 50. Hothomanus *l.* 13. *obser. c.* 33.
Vvisembachius *disp.* 49. *n.* 6. Duarenus *ad tit. de procur. c.* 6. Carballo
resol. crim. cent. 1. *casu* 23. Petr. Greg. *l.* 49. *syntag. c.* 4. *n.* 3. Canisius
in repetit. ad hunc textum, plures relati a Fermosino *in c. pastoralis*,
q. 3. & 4. *de judiciis*, Nigrus Cyriacus *l.* 1. *controv. c.* 66. *n.* 7. & 10. 3.
controv. 488. *per totam*, Ant. Matthæus *de crim. ad tit. de accusatione*,
c. 4. Mancius *de procur. tit.* 1. *n.* 140. Cujacius *l.* 2. *obser. c.* 20. & 21.
& *l.* 15. *responsorum Papinian. in l. pen. ff. de publiciis judiciis*, *& in l.
quamvis*, *C. ad leg. Jul. de adult.* Duar. *ad tit. de procur. c.* 6. Robert.
l. 2. *sent. c.* 3. Guazinus *de sensione* 3. *c.* 8. Belold. *in delibat. juris cel. l.* 3.
Pandect. tit. de procur. § 20. Maceratus *l.* 3. *res.* 3. Ant. Gomez *lib.* 3.
var. c. 1. *n.* 12. Paz *in l.* 15. *styli*, Villadiego *in l.* 4. *tit.* 2. *l.* 2. *fori*,
Ranchinus *l.* 3. *var. c.* 11.

6 Impugnatur tradita assertio.

Verum hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequen-
tibus juris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam pro-
curatorum officium magnopere Reipublicæ utile, necessarium-
que esse supra probavi *in c.* 1. *de procur.* præcipue personis ec-
clesiasticis, quibus non licet divina officia deserere, & litibus
se immiscere, ut docetur *in c. fin. q.* 3. igitur tam accusator,
quam accusatus possunt per procuratorem in judicio compa-
rere. Augetur primo hæc difficultas ex eo, nam causa famosa
capitali comparatur, *l. juste ff. manumissis vindicta*, *l.* 4. *ff. si quis
cautionibus*, *l. hos accusare* 12. §. *omnibus*, *ff. de accusat.* D. Josephus
De Retes *in malefitis ad lib. de interd. deleg. excursu* 2. *in principio*. Sed
in causa famosa procurator admittitur, *l. furti* 6. §. *si quis alie-
no*, *ff. de his*, *qui notantur infamia*: igitur quia in judicio cri-
minali, etiam capitali, procurator constitui potest. Augetur
secundo hæc difficultas ex eo, nam causa capitalis dicitur,
quando ob eam servitus venit irroganda, *l. capitalium*, *ff. de
pœnis*, *l. licet* 103. *de V. S.* ubi Fornerius, & Gentilis: sed cum
servitus in pœnam venit irroganda, admittitur procurator;
igitur quia in causa criminali procurator constitui potest. Pro-
batur minor; nam cum servus ob ingratitudinem a patrono
accusatur, si ingratitudo probetur, revocandus est in servi-
tutem, *l.* 1. & 7. *C. de ingratis libertis*; sed in hujusmodi causa
ad-

admittitur procurator, tam pro accusatore, quam pro accusato, *l. sed hæc* 35. §. 1. *ff. de procur. l.* 4. *ff. de obsequiis*, Paulus *l.* 5. *sent. tit.* 16. ubi Cujacius: igitur in causa criminali, tam pro actore, quam pro reo admittitur procurator. Secunda difficultas adversus supra traditam assertionem ex eo nascitur; nam ad defensionem accusati quilibet de Populo non solum cum mandato, verum & absque eo admittitur, ut ipsum defendat, & appellationem interponat: igitur pro reo in judicio accusato admittitur procurator. Augetur hæc difficultas ex eo, quia servus in judicio accusatus potest per dominum defendi, vel per ejus procuratorem, *l. servus* 11. *ff. de judiciis*, *l. servi* 15. *l. Lucius* 18. *ff. de appell.* igitur quia reus accusatus per procuratorem defendi valet. Augetur secundo hæc difficultas ex lege *reos*, *C. de accusat. l. servus* 33. §. *publice*, *ff. de procur.* ubi expresse asseritur, reum criminis postulatum, per procuratorem defendi posse. Tertia tandem difficultas militat adversus eam partem assertionis, ubi Innocentius idem decidit circa accusatorem, ac circa accusatum, videlicet ut neutro casu, nec pro accusatore, nec pro accusato procurator admittatur; nam licet in popularibus judiciis accusatores non possint procuratores constituere ad accusationem proponendam; tamen rei accusati procuratorem designare possunt ad sui defensionem, *l. qui popularis*, *ff. de popul. action. l. licet ff. de procur. l. penult. ff. ne quid in loco publ.* igitur non recte in præsenti idem jus statuitur in actore procuratorem constituente, ac in reo defensorem designante.

7 Judiciorum divisio.

Quibus difficultatibus minime obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, judicium aliud esse mere civile, aliud mere criminale, aliud tandem criminale, sed civiliter intentum. Mere civile judicium dicitur, quod continet petitionem alicujus rei debitæ ex contractu, vel quasi, quodque ab ullo crimine originem non trahit, *c. ceterum*, *c. examinata*, *de judiciis*, *l. properandum*, *C. eod. tit. l.* 9. *tit.* 4. *p.* 3. ideo judicium civile opponitur criminali; *l. fin. ff. de furtis*, §. *in summa*, *Instit. de injuriis*. Judicium civile lenitatem significat; criminale vero juris rigorem continet, *c. per tuas*, *de simonia*; docent Duarenus *l.* 1. *disp.* 35. Menochius *de arbitrariis*, *casu* 50. *n.* 6. licet aliter exponat Robertus *l.* 4. *sent. c.* 9. Nec intereſt, quod per viam exceptionis de crimine agatur, veluti ad repellendum teſtem, vel adverſarium, ut *in c.* 2. *de ordine cognit. c.* 1. *de except. c. super his*, *de accusat. l. Lucius*, *ff. de his, qui notantur infam.* adhuc enim judicium civile eſt: quia principaliter negotium civile diſceptatur, ut docent Germonius *l.* 1. *animadv. c.* 19. *per totum*, D. Joannes Vela *de modo procedendi*, *c.* 1. Fermoſinus *in rubrica de judiciis*, *n.* 20. Zangerus *de exceptionibus*, *p.* 1. *c.* 1. *n.* 41. Judicium vero criminale dicitur, in quo de crimine principaliter agitur ad publicam vindictam, *l. servos*, *C. ad leg. Juliam de vi*, *l. ubi*, *C. ad legem Cornel. de falsis*: vel ad pœnam fiſco applicandam, ut docent Farinacius *in praxi*, *q.* 100. *n.* 11. Julius Clarus *l.* 5. *ſent.* §. *fin. q.* 1. *n.* 2. Moneta *de conſervatoribus*, *n* 213. Bobadilla *tom.* 2. *polit. l.* 3. *c.* 8. *n.* 214. & *l.* 8. *c.* 15. *n.* 15. Parexa *de inſtrum. tit.* 2. *reſol.* 6. *ex n.* 42. Nec contrarium probat text. *in l. Gajus* 22. *ff. ad Syllan.* quam exponunt Cujacius *l.* 16. *qq. Papin. in eod. textu*, Joannes Igneus *ibidem*, omnes Primarii noſtri *in rubrica de judiciis*. Mixtum judicium dicitur, quod aliquid continet criminale, aliquid vero mutuatur a civili; quod contingit cum agitur ad pœnam fiſco applicandam, & ſimul parti in ejus utilitatem, ut *in l. licitatio* 9. *quod illicite*, *ff. de publicanis*, *l.* 12. *tit.* 6. *l.* 15. *tit.* 26. *lib.* 8. *recog.* Sed ſi reus in pœnam fiſco applicandam ſimpliciter condemnetur, quam poſtea fiſcus cum accuſatore dividat, non mixtum, ſed mere criminale eſt, ut *in l.* 25. §. *fin. ff. ad Syllanianum*. Nec contrarium probat præſens textus ibi, *ſed quaſi mixtum*; ubi cum agatur de pœna ſeparationis quoad thorum, aſſerit Innocentius, mixtum eſſe judicium. Nam omiſſis interpretationibus antiquorum repetentium *ad rubric. infra de judiciis*, reſpondendum eſt, ipſam ſeparationem quoad thorum aliqua continere, quæ cedunt in utilitatem mariti accuſatoris, & in publicam vindictam exercentur; ſiquidem ipſa adultera privatur utilitatibus, & honoribus conjugii, ut docet Mancius *l.* 1. *Genialium*, *c.* 39. qui etiam hoc modo accipit, & explicat textum *in cap. per tuas* 32. *de ſimonia*. Judiciumtandem criminale civiliter intentatum dicitur illud, in quo principaliter agitur de crimine, ſed ad utilitatem partis. Menochius *d. caſu* 265. *n.* 4. quo caſu admittitur procurator, *c.* 1. *ut lite non conteſt.* vel cum pœna, quæ imponitur, eſt mere civilis; quo caſu accipio textum *in c. ex par.* 9. *de teſtibus*, & *in c.* 1. *de juram. calum.* juncto Bellamera *ibi*, *n.* 5.

8 Tradiur ratio decidendi.

Quibus ita animadverſis, ut ad rationem præſentis deciſionis perveniamus, ſciendum eſt, varias ejus rationes adducere Julium Clarum, Antonium Gomezium, Buccharonum, & alios congeſtos ab Oſualdo *ubi ſupra*. Ex quibus ſequentem, ut veriorem elegi, & ex eo naſcitur, quia accuſator tenetur per ſe accuſationem proponere, non vero per procuratorem; quia cum accuſator teneatur ſubſcribere in ipſa accuſatione, *cap. ſuper his*, *de accuſat.* ut ſi calumnioſe accuſet, afficiatur talionis pœna, ut probabo *in d. c. ſuper his*, eveniret quod ſi per procuratorem accuſatio admitteretur, non ipſe, ſed procurator pœna talionis plecteretur, & pœna ultra delinquentem protraheretur, innocentemque teneret, contra juris principia, de quibus *in c. quæſivit*, *de his*, *quæ fiunt a majori parte*, *cap. Romana*, *de ſent. excommunicationis*, *l.* 6. *cap. qui crimen* 1. *queſt.* 4. *l. ſanctimus*, *C. de pœnis*. Accuſatus autem ideo per procuratorem defendi nequit, ne illuſorium reddatur judicium, aut procurator innocuus damnetur; cum facile dominus, idem reus accuſatus, fugam facere poſſit, & tunc procurator ejus damnaretur, contra textum *in l.* 1. *C. de ſententiis*, & *intell.* quæ ratio aperte traditur *in l.* 11. *tit.* 5. *partit.* 3. Cui etiam accedit & alia ratio; nam reus perſonaliter in judicio debet comparere, ut ex vultus ſqualore, crebraque mutatione, ſermonis inconſtantia, vocis titubatione plerumque crimen admiſſum arguatur, vehementergue probetur, *l. de minore* 10. §. *plurimum*, *ff. de queſtionibus*, Quintilianus *l.* 5. *inſtit. c.* 4. quippe, ut ait Cicero in oratione pro Piſone: *Vultus tactus mentis ſermo*, & *animi ſenſus eſt*. Caſſiodorus *l.* 5. *ep.* 9. *In vultu*, inquit, & *in voce cognoſcimus mores*. Plura congeſſit Oſualdus *l.* 17. *Donelli*, *c.* 10. *lit. G.* Juſte ergo in præſenti deciditur, nec accuſatorem, nec accuſatum per procuratorem in judicio comparere poſſe. Fulcitur hæc dubitandi ratio ex veteri more obſervato apud Romanos in judiciis publicis criminalibus exercendis. Apud eos enim, qui accuſare paratus erat, nomen rei accuſati apud quæſitorem deferebat, & inter eos recipi poſtulabat, profitendo qua lege reum faceret: deinde ſubſcribebat in crimen, juxta tradita *in c. ſuper his*, *de accuſat.* Deinde reus ad judicium trahebatur, accuſatore hæc verba proferente, *Aio te ſpoliaſſe*, *aut telo*, *vel veneno occidiſſe*, vel in aliam legem incidiſſe. Quod ſi reus ſilentio continebatur, nec quidquam opponebat, ut convictus credebatur, quod ſi negabat, petebantur a Magiſtratu dies inquirendi criminis, & ex tunc reus conſtitutus in reatu dicebatur: quæ omnia per extraneam perſonam, hoc eſt procuratorem obiri nequibant: quare recte, & juxta juris civilis ſanctiones in præſenti docetur, nec accuſatorem, nec accuſatum per procuratorem audiendum eſſe. Proſequitur alias rationes Gomez.

9 Diſſolvitur debitandi ratio.

Nec obſtant difficultates ſupra pro dubitandi ratione expenſæ; nam prima, quia licet procuratorem uſus valde utilis, Reipublicæque neceſſarius ſit; id tamen procedit in cauſis, quæ per procuratorem diſceptari poſſunt; ſeaus vero in his, quæ procuratorem non admittunt, ut in cauſis criminalibus, in quibus nec conjuncta perſona pro conjuncta admittitur. Mancius *de procuratoribus*, *n.* 143. *cum ſeqq.* Nec augmentum primum hujus difficultatis obſtat, quia abſolute verum non eſt, infamiæ cauſam capitali æquiparari; illa enim exæquatio in omnibus non procedit, ſed in delatione juramenti, & ſimilibus cauſis, quas congerit Vveſembechius *ad tit. de procuratoribus*, *n.* 5. Nec ſecundum augmentum adverſatur; nam licet pœna ingrati capitalis ſit, quippe ingratus redigitur in ſervitutem; tamen ingratitudinis cauſa non criminaliter, ſed civiliter inſtituitur, unde procurator in ea intervenire poteſt. Nec ſecunda difficultas refragatur, deducta *ex l.* 6. *ff. de appell.* quia in ea tantum permittitur, ut quilibet de Populo appellare poſſit pro eo, qui perire feſtinat; non tamen, ut poſſit cauſas innocentiæ proponere, aut eum defendere, ut in ipſa lege 6. innuitur. Nec etiam primum augmentum hujus difficultatis adverſatur; verum enim eſt, ſervum criminaliter accuſatum, ſive præſentem, ſive abſentem, defendi poſſe per dominum proprium, vel ejus procuratorem, ex dictis juribus *in l. ſervi l.* 15. *hujus* 18. *ff. de appellationibus*, *l. ſi qui* 7. §. *penult. l. ſi ſervum* 17. *ff. de accuſationibus*, excepto ſervo publicani, qui a domino defendi non poteſt, *l.* 3. *ff. de publicanis*: propter acerbam, & exoſam publicanorum conditionem, *l.* 4. *ff. eod. tit.* Ratio eſt, nam ſervus in domini patrimonio eſt, & per conſequens non tam reum criminis dominus defendit, quam rem propriam patrimonii ſui, præcipue cum dominus tantum proponat exceptiones, facietque ſervum judicio ſiſti, *d. l. ſervus* 17. *l.* 2. *ff. de cuſtodia reorum*, *l.* 2. *C. de tranſactionibus*; non vero, ut pro eo condemnationem ſuſtineat, *d. l.* 2. *Cod. de accuſationibus*. Et licet in cauſis civilibus cum ipſis ſervis agi non poſſit, aut eos facere judicio ſiſti, *l.* 3. *ff. ne quis eum*, *l. quoties* 13. *ff. ſi quis cautionibus*, *l. tutela* 7. §. 2. *ff. de cap. minutis*, *l.* 3. §. 8. *l.* 5. §. 2. *l. non diſtinguimus* 32. §. *ſi ſervus* 8. *ff. de receptis*, *l. cum ſervo*, *ff. de regulis juris*, ubi plura Petrus Faber, & Gothofredus; judicium tamen criminale plerumque cum ſervis dari poteſt, *l. hos accuſare* 12. §. *omnes*, *ff. de accuſationibus*, *l. penult.* §. *ult. ff. de noxalibus*; ne videlicet abjectæ conditionis hominibus delinquendi daretur occaſio, ſed pœna eos conſtringat, & ejus formidine retrahantur a noxa: ergo cum ſervus in domini patrimonio ſit, ſi de capitali crimine accuſetur per dominum ſuum, vel ipſius procuratorem defendi poteſt; & eodem modo, quo ſervi a dominis defenduntur, filii etiam familias a parentibus defendi valent. Hoc tamen jus defendendi ſervos, ac filios, non ita coactivum eſt, quod etiam nolentes valeant ad defenſionem compelli, aliqua adverſus eos impoſita pœna; quin potius ita in ipſorum voluntate poſitum eſt, quod etſi eos defendere nolint, non magis ob id filius familias abſolutus a crimine a patria liberetur poteſtate, quam ſervus a dominica.

10 Diſſolvitur alia difficultas.

Nec obſtat aliud augmentum ipſius difficultatis deductum *ex d. l. reos*, *C. de accuſationib.* pro cujus ſolutione varias diſtinctiones adduxerunt Cujac. *l.* 20. *obſerv. c.* 20. Pacius *cont.* 2. *antimonia* 40. Duarenus *ad tit. de procur. c.* 6. Donellus *l.* 18. *comment. c.* 11. Ant. Matthæus *de criminibus*, *ad tit. de accuſat. c.* 4. Quibus omiſſis dicendum eſt, quod licet verum ſit, reum criminali judicio accuſatum non poſſe per procuratorem defendi; tamen ſi talis reus poſt litem conteſtatam, vel ut ait Papinianus *in l. inter* 10. *ff. de publicis judiciis*, cognitione ſuſcepta abfuerit, ejus abſentiæ cauſæ per procuratorem valent proponi, *l. penult.* §. *Prætor*, *ff. de furtis*, *l. abſens* 71. *ff. de procurat.* Paulus *l.* 5. *ſent. tit.* 16. §. *ne criminis*, *c. veritatis*, *de dolo*, & *contumacia*, Donellus *l.* 18. *comment. c.* 10. Guazinus *defenſ.* 12. *per totam*: quo caſu procedunt textus, *in cap. veniens* 14. *de accuſat.* & *d. l. ſervus* 33. §. *publice* 2. in illis verbis: *In capitalibus judiciis defenſio datur*; ideſt, excuſator admittitur, qui abſentiæ cauſas referat: non autem rei abſentis innocentiam proponat. & *in d. l. reos*, ubi edocet Alexander, reos capitalium criminum, ideſt jam notatos capitali crimine per procuratorem defendi, legem publicorum judiciorum permittere; vel ut dicitur *in d. l. penult.* §. 1. *ff. de publicis judiciis*, Senatuſconſultum, quod idem ſignificat; nam Senatuſconſulta ad leges fieri ſolebant: quare quod lege cautum fuit, Senatuſconſulto factum fuiſſe plerumque dicitur, §. *eadem*, *Inſtit. quibus ex cauſis*, *l.* 1. *ff. de officio Conſulis*. Dixi poſt litem conteſtatam ex lege, ſeu Senatuſconſulto reum abſentem excuſari poſſe; nam ante litis conteſtationem capitalis criminis accuſatus abſens per procuratorem defendi non poteſt, nec accuſari, ſeu condemnari, *l. abſentum* 6. *C. de accuſat. l. abſentem* 5. *ff. de pœnis*, *l.* 1. *ff. de requirendis reis*, *l. ſi maritus* 15. *ff. ad legem Jul. de adult.* ſed tantum annotari in actis, ut requiratur, & ſui copiam faciat, *l.* 1. §. 1. & 2. *l. annuis* 15. *ff. de requirendis reis*, *l.* 1. §. *proſcriptio* 3. *de jure fiſci*, *l. qui cum uno* 5. §. *reus*, *ff. de re milit.* ratione contumaciæ: & ſi per trinundinum, hoc eſt, tribus edictis vocatus non comparuerit, intra annum bona obſignantur, & obſignatione facta, poſt annum fiſco addicuntur, ut probant Vultejus *diſceptat. juris c.* 11. Deſiderius Heraldus *l.* 1. *de auctor. rei judic. c.* 11. Nec huic ſolutioni obſtat textus *in l. miles* 12. §. *ea quæ*, *ff. ad legem Jul. de adult.* ubi Papinianus reſpondet, mulierem inter reas adulterii receptam, per procuratorem defendi non poſſe, licet abſens ſit: igitur prædicta ſolutio ſuſtineri nequit. Nam dicendum eſt, prædictam doctrinam tantum locum habere in delicto, quod meretur pœnam capitalem: at ubicumque abſens accuſatus capitali pœna damnari nequit, ſed tantum uſque ad relegationem, defenſor, vel procurator ad excuſandum crimen, vel cauſas abſentiæ allegandas non admittitur, quia ceſſat mortis periculum, cujus ratione defenſor abſentis admittitur, *l.* 1. §. *& ſi*, *ff. an per alium cauſa appellationis*. Unde apparet vera interpretatio text. *in d.* §. *ea quæ*; nam licet aliquando crimen adulterii capitale eſſet, Livius *l.* 4. Valerius Maximus *l.* 8. *c.* 2. Suetonius *in Julio*, *c.* 2. & 48. Tacitus *l.* 2. *hiſtoriæ*; tamen ex lege Julia ab Auguſto lata pœna capitis ſtatuta non fuit niſi in milites, *l. miles* 12. *in principio*, *ff. ad legem Jul. de adult.* Svetonius *in Auguſt. c.* 43. coram enim mores honeſtiſſimos in publico patere decuit, *l. quædam* 14. *ff. de pœnis*, *c. ſi geni*, 56. *diſt.* tantum enim uſque ad pœnam relegationis contra adulteros procedi poterat, ut non obſcure docetur *in l. ſi quis viduam* 5. *ff. de quæſtionibus*, *l.* 4. *ff. de teſtibus*, *l. Divus* 8. *ff. de divortiis*, *l. Claudius* 13. *ff. de his*, *quæ ut indignis*, D. Aug. *l.* 3. *de Civ. Dei*, *c.* 5. docet Cujacius *l.* 6. *obſerv. c.* 11. & *l.* 20. *c.* 18. quamvis poſtea pœna capitis ſtatuta eſſet, vel a Conſtantino, & Conſtante *in l.* 4. *Theodoſ. quorum appellationes*, *l.* 2. *juncta l.* 4. *eod. C. de indulgentiis*, ut vult Cujacius *ubi ſupra*, vel a Conſtantino, ut probari videtur *in l. quamvis*, §. *fin. C. ad legem Jul. de adult.* juncta novella 134. *c.* 10. ubi Juſtinianus hanc pœnam, ut ab Auguſto ſtatutam, refert, & notabimus *in c.* 2. *de adulteriis*. Inde ergo *in d.* §. *ea quæ*, defenſor pro mulieres abſente non admittitur, quia tunc temporis adulterii pœna capitalis non erat. Nec obſtat ultima difficultas; nam verum eſt accuſatorem in judicio populari non poſſe procuratorem conſtituere, reum vero poſſe defenſorem nominare: differentiæ ratio manifeſta eſt, quia quemcumque actor in procuratorem elegerit, ipſe etiam fine mandato, ſuo nomine, tamquam unus ex populo propriam actionem habet: & generaliter certum eſt, eum procuratorem non recte conſtitui, qui ſuo jure, & proprio nomine in eadem cauſa in judicio comparare poteſt; quæ ratio non militat in reo accuſato, unde ipſe poteſt procuratorem ad ſui defenſionem conſtituere, ut variis exemplis probat Vultejus *de judiciis l.* 2. *c.* 7. *n.* 563.

11 Exponitur c. mariti 3. de adulteriis.

Sed ſupra traditæ aſſertioni primo obſtat text. *in c. mariti* 3. *de adulteriis*, in illis verbis, *accuſare*, & *defendere*: ex quibus conſtat, maritum poſſe defendere uxorem ſuam criminaliter ab extraneo accuſatam de adulterio: igitur quia reus accuſatus in judicio, etiam per procuratorem defendi valet. Cui difficultati reſpondendum eſt, textum illum ſpecialiter procedere in marito, qui poteſt uxorem ſuam defendere in judicio, quia potius ut conſors litis, quam ut procurator rem propriam defendere videtur, videlicet honorem proprium; cum non ſit extranea perſona, ſed potius dominus, aut conſors litis, recte aſſeritur uxorem propriam defendere poſſe.

12 Explicatur Conc. Emeritenſe §. 5.

Secundo adverſatur textus *in can.* 5. *Concilii Emeritenſis*, ubi cum agatur de Presbytero, ſeu Archipresbytero ad Concil. ab Epiſcopo vocato, in calce ipſius Canonis hæc leguntur verba: *Quamcumque ergo ex Presbyteris dirigere elegerit, inſtructum per informationem dirigat, ut ratio poſcat, atque cum eo mandatarium ſuum juxta legis ordinem munitum: ut ſi a quolibet contra eumdem Epiſcopum in Concilio fuerit ſuggeſtum, ab eo quam direxerit, qui petit, accipiat reſponſum, & juſtitia, quæ fuerit ordinata, nullam poſtmodum dilationem habeat*. Ex quibus expresse conſtat, poſſe reum accuſatum per procuratorem defendi: igitur non recte aſſerimus, reum per procuratorem in judicio accuſatum non poſſe defendi. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, in eo Canone non agi de cauſis criminalibus, ſed civilibus, & civiliter intentatis, in quibus Presbyter ab Epiſcopo ad Concil. miſſus proprium Prætatum defendere poteſt; quod faceret nequiret, ſi criminaliter accuſaretur. Nec tunc obſtat textus *inc.* 1. 5. *q.* 3. ubi deciditur, Epiſcopum de crimine accuſatum, in Concilio non comparentem, nec per ſe, nec per procuratorem, ſuſpendendum eſſe propter contumaciam: igitur quia ſive civiliter, ſive criminaliter Epiſcopus in Concilio accuſatus, poteſt per procuratorem ſe defendere. Quia reſpondendum eſt, in eo textu agi de procuratore deſtinando ab Epiſcopo, non ut ipſum defendat a cauſa criminali, ſed ad allegandas cauſas abſentiæ, vel exceptiones merita cauſæ principalis non reſpicientes; quo caſu procuratorem pro reo admitti, jam ſupra probavit, & docet Mancius *de procuratoribus*, *ubi ſupra*, *nu.* 167. quo etiam modo procedit textus *in cap. dilecti* 8. *de dolo & contumac.* ubi pro abſente accuſato admittitur procurator ad abſentiæ cauſas proponendas, non vero ad excuſandum crimen principale.

13 Intelligitur c. ita tutum 2. q. 4.

Deinde ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *cap. ſtatutum* 25. 2. *q.* 2. ubi ex Conc. Salegaſtadenſi refertur, quod ſi duo accuſati fuerint de adulterio, & ambo negaverint illud perpetraſſe, unuſque purgationi offeratur, & ex ea immunis evadat, alter quoque innocens credatur. Ex quo Canone expresse conſtat, reum adulterii accuſatum, poſſe per alium ita defendi, ut innocens declaretur: igitur quia reus accuſatus per alium defendi poteſt. Cui difficultati varias aſſignat ſolutiones gloſſa in eo textu, verbo *Alter illorum*. Quibus omiſſis dicendum eſt, veram illius textus interpretationem provenire ex natura delicti adulterii; nam cum crimen hoc admitti non poſſit niſi inter duos, ſi unus ex reis accuſatis innocentiam probaverit, neceſſario alter ab accuſatione abſolvendus eſt, non quia per alium defendatur, ſed quia per purgationem, quam ſuſcepit, cauſa accuſationis ceſſavit.

14 Exponitur l. noſtris, C. de accuſat.

Etiam præſenti aſſertioni obſtat textus *in l. noſtris* 8. *Cod. de accuſat.* quæ eſt lex 2. *Cod. Theod. de accuſat.* in illis verbis: *Noſtris & noſtrorum parentum conſtitutionibus comprehenſum eſt, eos qui accuſationes alienis nominibus præſumpſiſſent, delatorum numero eſſe ducendos*. In quibus aperte ſupponitur, accuſationem alieno nomine in judicio admitti: igitur quia per procuratorem poteſt quis alium accuſare. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, nonnunquam evenire, ut accuſatio alieno nomine proponatur, veluti cum tutor pupilli ſui nomine accuſationem intendit, *l. tutorem* 22. *ff. de his quæ ut indignis*, *l. Polla* 2. *Cod. eod. tit. l. adverſus*, §. 1. *digeſt. de inoffic. teſtamento*, §. *tutor*, *inſtitutæ eod. tit.* Illuſtrant Scipio Gentilis *in notis ad apolog. Apuleii*, *pag.* 17. Cujacius *in notis ad Pauli lib.* 5. *ſent. tit.* 12. §. 4. Jacobus Gothofredus *in dict. l.* 2. *Cod. Theod. de calumn.* & *in l.* 17. *eod. C. de accuſationibus*, ubi exponunt legem 2. *Cod. qui accuſare*: ad quem caſum, & ſimiles referri debet textus *in d. l. noſtris*, ut in ejus commentario obſervavit Gothofredus. Etiam opponi poteſt præſenti aſſertioni textus *in cap. dilectorum* 10. *de teſtibus cogendis*; cujus veram interpretationem dabimus in ejus textus commentario, *c. meminimus*, *de accuſat.* juncto Felino *ibi*, *nu.* 9. *l.* 39. §. *ult. ff. hoc tit.* cum Vveſembech. *in parat. ad eumdem tit. n.* 5.

CAPUT VI.

N. a *Archipresbytero*, *N. Decano*, & *N. Præcentori* b *Lugdun.*

CUm pro cauſa, quæ inter dilectos filios Falconem, & Gualterum *c* Cabilonen. Eccleſiæ Archidiaconos vertebatur, procuratores utriuſque partis ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, nos eis dilectum filium noſtrum G. S. Adriani Diac. Cardinalem conceſſimus auditorem, coram quo ipſius F. Archidiaconi *d* procurator propoſuit, quod cum olim pro variis gravaminibus, quæ adverſarii ejus Cabilonenſi Eccleſiæ inferebat, ad Sedem Apoſt. acceſſiſſet, ad dilectos filios N. Abbatem S. Martini, N. Cantorem Eduen. & N. Archidiaconum Flaviniac. litteras impetravit, ut dictum G. Archidiaconum Canonica diſtrictione compellerent, ut ab Cabilonenſis Eccleſiæ, & hominum cujuſdam obedientiæ ejus, qui poteſtas Boiaci dicitur, moleſtatione ceſſaret, & de injuriis illatis ipſum eidem Eccleſiæ ſatisfactionem cogerent debitam exhibere. Cumque judices ſecundum mandatum Apoſtolicum vellent in cauſa procedere, pars adverſa, ut judicium declinaret, Sedem Apoſt. appellavit. Adjecit etiam, quod a bonæ memoriæ C. Papa prædeceſſore noſtro confirmationis litteras impetrarat ſuper quibuſdam inſtitutionibus ejuſdem Eccleſiæ de communi aſſenſu Capituli conſtitutis, ex quarum inobſervantia Eccleſia ipſa debito ſervitio fraudabatur. Licet autem idem prædeceſſor noſter venerabili fratri noſtro N. Eduenſi Epiſcopo ad ejuſdem Archidiaconi poſtulationem mandaſſet, ut eas faceret obſervari; ipſe tamen ſemel ſolummodo Cabilonenſi Capitulo pro his ſervandis ſuas litteras deſtinavit, nec ſuper hoc ultra proceſſit. Petebat itaque procurator ipſe pro Archidiacono memorato priorem

cauſam

causam committi, confirmari constitutiones prædictas, & ea sibi restitui, quæ ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ coactus fuerat expendisse. Ceterum procurator partis alterius ex adverso respondit, quod cum dictus F. Archidiaconus in Succentorem Cabilonensis Ecclesiæ Diaconatus fungentem officio, in communi dormitorio manus injecisset temere violentas, & eum traxisset, verberando per claustrum, tu frater Archiepiscope, eum ob violentam manuum injectionem, & violationem immunitatis Ecclesiæ fecisti excommunicatum publice nuntiari. Ipse vero ad Apostolicam Sedem accedens, confessus est, quod in Clericum manus injecerat violentas: supprimens autem, quod immunitatem violasset Ecclesiæ, super absolutione sua litteras impetravit; sed nihilominus in excommunicatione remansit, cum altèram causarum, pro quibus excommunicatus fuerat, tacuisset. Unde ipsum nec in jure stare posse dicebat, nec procuratorem constituere; præsertim cum is, cui causæ suæ procurationem commiserat, ob excessum similem eadem innodatus sententia teneretur. Ea etiam carere viribus allegabat, quæ in excommunicatione positus a Sede Apostol. impetrarat. Licet autem per hoc dictus G. Archidiaconus ei non teneretur, nisi obtento prius absolutionis beneficio, respondere, nihilominus tamen se dictorum judicum conspectui præsentarat, & per litteras venerabilis fratris N. Episcopi, & dilecti filii N. Decani ipsius Ecclesiæ ostenderat, quod nec ipse adversus eamdem Ecclesiam, nec Ecclesia adversus eum haberet aliquam quæstionem: & litteræ, quas adversarius ejus obtinuerat, ab Apostol. Sede impetratæ non fuerant de Capituli voluntate. Accedente igitur die altera, quæ ipsis fuerat assignata, cum super eo quæreretur a partibus, an iterum renitente Capitulo dictus F. Archidiaconus esset pro Cabilon. Ecclesia contra eumdem G. Archidiaconum admittendus, ipse G. propter suspicionem judicum ad Sed. Apost. appellavit. Ad ea vero, quæ super servandis consuetudinibus Ecclesiæ proposita fuerant, sic respondit: quod cum memoratus Episcopus dictis Decano & Capitulo mandavisset memoratas consuetudines observari, responderunt se ipsas libentius servaturos, nisi paupertas Ecclesiæ impediret: adjicientes ut statum Cabilon. Ecclesiæ per suas litteras Sedi Apostolicæ nuntiarent. Ex his igitur concludebat, nec expensas, quas dictus F. Archidiaconus fecerat, ipsi debere restitui; cum potius ut ab excommunicationis vinculo solveretur, ad S. Apost. accessisset: nec eum esse super confirmandis Ecclesiæ consuetudinibus audiendum, cujus non poterat litteras procurationis ostendere; imo ipse procurator esset a Capitulo institutus, propter quod cum instantia postulabat ordinationem Ecclesiæ dictis Episcopo, & Decano committi: ita quod quidquid de majori, & saniori parte Capituli, tam super instituendis Canonicis, quam super aliis ad ordinationem ejusdem Ecclesiæ pertinentibus constituerent, non obstante contradictione paucorum inviolabiliter servaretur, non obstantibus litteris super servandis prædictis consuetudinibus ad dictum Eduen. Episcopum destinatis. Petebat etiam dictum F. Archidiaconum excommunicatum denuntiari, cum nec satisfecisset passo injuriam, & de violatione immunitatis Ecclesiæ non fecisset aliquam mentionem. Ex parte vero prædicti Fratris Archidiaconi taliter fuit ad objecta responsum, quod licet super violenta manuum injectione accusatus fuisset, ei fuit Ecclesiæ solummodo introitus interdictus: sed postmodum ad Apost. Sedem accedens, sine contradictione qualibet fuerat absolutus. Nos igitur causam ipsam vestro examini committentes, discretioni vestræ per Apost. scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit dictum F. Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantum alteram in litteris, quas super absolutione sua ab Apost. Sede obtinuit, ipsum tamquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ de altera, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Prædictas vero constitutiones, si eas de assensu Capituli majoris, & sanioris partis inveneritis esse factas, & possibilitas Ecclesiæ patitur, faciatis inviolabiliter observari. In aliis ordinationem Ecclesiæ prædictis Episcopo, & Decano auctoritate Apostolica committatis: itaut quæ cum majori parte Capituli, tam super Canonicis instituendis, quam super aliis canonice duxerint statuenda, non obstante contradictione, vel appellatione paucorum, obtineant firmitatem. Expensas vero antedicto Archidiacono restitui faciatis, si legitime probare potuerit, se de Capituli mandato suscepisse prædicta negotia promovenda, & propter hoc ad Sedem Apost. accessisse. Nullis litteris, & præter assensum partium, &c. Quod si non omnes, &c. tu frater Archiepiscope cum eorum altero, &c. Datum, & cetera.

NOTÆ.

a *Archipresbytero.*) De dignitatibus Archipresbyteri, Decani, & Præcentoris egi *c. 2. cap. ad aures, de rescript. c. 1. de offic. Archipresbyteri.*

b *Lugdunensi.*) In quarta collectione, *sub hoc tit. c. 1.* & in hac sexta tantum legitur, *idem*. Ex epistolis vero ipsius Pontificis editis a Guillelmo Sirleto *pag.* 149. restitui o litteram hujus textus. De Ecclesia Lugdun. jam nonnulla adduxi *in c. fin. hoc titul.*

c *Cabilonensi.*) De Cabilonensi diœcesi nonnulla adduxi *in c. penult. de constit.*

d *Procurator G.*) Verba quæ sequuntur, extant *in cap. cum pro causa, de sent. excom.*

COMMENTARIUM.

2 Conclusio traditur, & probatur.

EX præsenti textu, prout a Raymundo transcribitur, sequens communiter deducitur assertio: *Qui de mandato domini causam procuravit, ab eo repetit expensas in lites factas.* Probant eam textus *in l. heredem 14. l. si mandatum 15. l. idemque, §. idem, l. ab eo, l. inter 26. §. fin. l. si quis 27. §. impendia, l. qui mutuum 56. §. fin. ff. mandati, l. si quis 31. l. actoris, l. qui proprio 46. §. item 5. ff. de procur. l. si servus 61. §. quod vero, vers. justissime, ff. de furt. l. 1. l. etiam 4. l. procuratorem 11. l. si quis contra 20. §. fin. l. salarium, C. mandati, l. si quis mandato, l. sed an ultro, ff. de negot. gest. l. sumptus 53. ff. de pact. c. quicumque 12. q. 4. c. quod quibusdam, de fideiuss. c. 1. de deposito.* Consonat lex *25. tit. 5. partita 3.* Illustrant ultra congestos a Barb. in præsenti, P. Greg. *lib. 27. syntag. c. 5. circa fin.* & *l. 3. partit. tit. 18. c. 8.* Pichard. *in §. 1. Instit. de his per quos, n. 1.* Faber *in ration. ad d. §. impendia*, Donel. *l. 5. comment. c. 13.* Vvesembech. *ad tit. de procur. n. 8.* Cujac. *in l. 1. & 4. Cod. mandati*, Bocer. *tom. 1. tit. de mandat. in fin.* Genuensis *practic. q. 579.* Mancius *de procur. n. 350.* Altessera *in hoc textu.*

3 Traditur ratio dubitandi.

Hæc tamen assertio ita illustrata difficilis valde redditur sequentibus juris considerationibus. Prima ex eo nascitur, nam ex natura mandati provenit, ut sit gratuitum, nec in eo ulla merces interveniat, *l. 1. §. ult. l. si remunerandi 6. in princ. & §. 6. & 7. l. salarium 7. l. idem 10. §. si ex fundo*, & *§. idem Labeo, l. si vero 12. §. inde, l. ex mandato 20. cum seq. ff. mandati*: sed si procuratori solvantur expensæ pro suscepto mandato exequendo factæ, non est gratuitum mandatum: igitur repugnat naturæ mandati, ut expensæ laboris, & ministerii illi solvantur. Augetur hæc consideratio ex eo, quia etsi procurator aliquando posset expensas repetere, maxime cum negotium bene gesserit, & effectum habuit, *l. sed an ultro 10. §. 1. ff. de negotiis gestis, l. 5. §. quid tamen, ff. judicatum solvi*: igitur indistincte verum non est, procuratorem expensas repetere posse. Secunda difficultas militat adversus nostrum Innocentium, dum distinguit in eo casu, quo Archidiaconus impetravit rescriptum ad confirmationem statutorum ipsius Ecclesiæ, utrum mandatum habuisset, vel non; cum certum sit, rescriptum impetrari non posse absque mandato speciali domini, *c. nonnulli 27. §. ult. c. ex parte 33. de rescriptis*: igitur si in præsenti casu Archidiaconus impetravit rescriptum, supponi debet mandatum præcessisse, & quidem speciale.

4 De recta mandati actione.

Sed ut Innocentii mentem, ejusque decisivam rationem comprehendamus, sciendum est, ex mandati contractu rite legitimeque celebrato, duplicem obligationem, duplicemque actionem nasci; directam videlicet, & contrariam: directa competit mandanti adversus mandatarium, seu procuratorem; contraria vero ipsi procuratori, seu mandatario, *l. licet 42. §. 2. ff. hoc tit.* per actionem directam tenetur mandatarius, seu procurator primo ad mandatum susceptum legitime exequendum, *l. si procuratorem 8. §. sed si de lite, l. si mandavero 22. ff. fin. l. si quis 27. §. qui mandatum, ff. mandati*, & ut illud exequatur juxta fines, & formam mandati, *l. diligenter 5. l. potest 41. l. si quis 46. ff. mandati, l. procuratorem 11. cum l. sequenti, Cod. eod. tit.* & juxta bonam fidem, ne dolum, culpamve etiam levissimam admittat, *l. a procuratore 12. l. in re mandata 21. Cod. mandati*. Cujacius, Petrus Faber, & Jacob. Gothof. *in l. contractus 23. digest. de R. I.* Secundo tenetur reddere rationes eorum, quæ gessit, & quæ inde consequutus est, sive juste, sive per injuriam judicis; id enim omne reddere debet, *l. qui proprio 46. l. procurator, ff. hoc tit. l. si procuratorem 8. ff. mandati*, etiam fructus & usuras, *l. idemque 10 §. si ex fundo*, & *§. idem Labeo 9. ff. mandati*: etiam tenetur cedere actiones mandanti, maxime si solvendo non sit, *d. l. si procuratorem, l. si liber homo, l. qui mandatum 43. ff. mandati, l. possessio 49. §. ult. ff. de acquirenda poss.* alia prosequitur Bocerus *d. tom. 1. class. 2. disp. 6.*

5 De actione contraria mandati.

Per actionem mandati contrariam nonnulla etiam consequitur mandatarius, seu procurator. Primo pecuniam, etiam ante executionem mandati, si necessaria sit ad ejus implementum, *l. si vero 12. §. fin. ff. mandati*: deinde ut impensas factas in executione mandati recuperet, *l. si quis 17. §. impendia, l. qui mutuum 56. §. ult. l. Papinianus, ff. mandati*. Similiterque, ut dominus solvat omne id, quod per mandatum amisit, eumque liberet ab obligatione, in quam occasione mandati incidit, *l. si mandatum 45. in princ. & §. quoties, ff. mandati*; & si nolit dominus in se suscipere obligationem, condemnabitur in quantum interest mandatarii, *l. si quis alios 13. in principio, ff. de re jud. l. stipulatione 72. vers. Celsus, ff. de V. O.* etiam habet actionem procurator adversus dominum, si non mandati, extraordinem ad salarium constitutum exigendum, *l. salarium 7. l. qui mutuum 56. §. fin. ff. mandati, l. salarium, C. eodem*. Quæ omnia mandatarius consequi potest etiam retentione rerum, *l. quæ omnia 25. cum sequenti, ff. de procur. l. si non aurea 33. in fine, ff. de condict. indeb. l. Paulus 14. ff. de doli mali except.*

Qui-

6 Traditur ratio decidendi.

Quibus ita animadversis apparet jam vera decidendi ratio præsentis textus; nam bona fides contractus mandati exigit, ut procurator damno non afficiatur, *l. si vero 12. §. mihi, l. si quis 16. l. si mandavero 22. §. interdum, ff. mandati*: quia officium suum nemini debet esse damnosum, *l. sed & si 7. ff. quemadmodum testamenta, l. si servus, ff. de furtis*; qui enim procuratori suo jussit negotia sua gerere, aut rescriptum impetrare, tacite permisit impensas in ipso negotio factas solvere, *l. ex mandato, in principio, ff. mandati*. Unde cum non fraudentur qui consentiunt, *l. nemo videtur, ff. de R. I.* recte Pontifex in præsenti decrevit Archidiaconum virtute mandati procuratorii posse impensas repetere, & usuras pecuniæ impensæ, *libr. 1. Codic. mandati*: & omnia, quæ bona fide erogavit, *distinct. libr. si mandavero, §. impendia, libr. si mandassem 15. libr. ex mandato 20. ff. mandati, libr. si servus 61. §. quod vero, ff. de furtis*. Hæc autem procedunt si mandatum intercessit, si vero merces constituta sit procuratori, tunc actio locati datur, *l. 1. in fine, ff. mandati*. Si nec merces constituta fuerit, nec gratis procurator negotium gerat, sed tantum acceptura quantum postea convenerit, datur actio præscriptis verbis, argumento textus *in l. si tibi 22. ff. præscript. verbis.*

7 Dissolvitur difficultas.

Nec obstant difficultates supra expensæ. Non prima, verum enim est, mandatum ex sua natura gratuitum esse debere, quia si merces interveniat, transit in aliud genus contractus, locationis videlicet, vel contractus innominati; sed ficut naturæ mandati non repugnat salarii constitutio a mandante facta, nec honorarium remunerandi gratia promissum, *l. salarium, l. si remuner. ff. mand.* ita non repugnat, imo magnopere bonæ fidei congruit, ut impensæ factæ in mandati executione procuratori præstentur. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis: nam magnum discrimen versatur inter procuratores qui mandato domini negotia gerunt, & inter eos, qui ultro se offerunt administrationi absque ullo mandato. Primi, sive res bene, aut male cesserit, dum tamen sine culpa, habent actionem mandati contrariam ad expensas factas in executione mandati; illi vero, qui negotiationi se obtulerunt, ita demum actionem mandati habent, si res bene cessit; quia sibi imputare debent, cur ultro administrationi alieni patrimonii se immiscuerint; *d. l. sed an ultro 10. §. 1. ff. de negotiis gestis*; quæ ratio non militat in procuratore, qui se immiscuit alieno negotio virtute mandati, ut docent repetentes *in præsenti*. Donellus *in l. etiam 4. C. mandati*, Faber *in l. qui mutuum 56. §. ult. ff. mandati*. Nec secunda difficultas obstat: doctrina enim in ea tradita procedit in rescripto justitiæ impetrando, quod absque speciali mandato impetrari nequit, ex dispositione Concilii Later. *in ca. nonnullis 27. §. ult. de rescriptis*. Ac rescriptum gratiæ absque ullo mandato impetrari valet, de quo accipiendus est præsens textus, in cujus specie impetraverat Archidiaconus rescriptum confirmatorium statutorum ipsius Ecclesiæ: quæ impetratio duplici ex causa sustineri poterat. Prima, quia litteræ ipsæ gratiam continebant: secunda, quia persona ipsius Capituli eas impetraverat.

8 Exponitur l. unica, §. de rei uxor. actione.

Adhuc superiori assertioni obstat textus *in l. unica, §. si ob impensas, C. de rei uxoria actione*, ubi Justinianus in illis verbis: *Si quidem mulieris voluntas intercedat, mandati actionem a nostra auctoritate marito contra uxorem indulgeri*; statuit speciali beneficio se concedere actionem mandati contrariam illi, qui mandato imposlas fecit; igitur quia jure communi actio mandati contraria non competit ad recuperandas impensas in executione mandati factas. Pro cujus difficultatis solutione sciendum est, in eo textu agi de impensis in rebus dotalibus factis; quæ si necessariæ sint, ipso jure minuunt dotem, & maritus earum retentionem habet, *l. 2. l. quod dicitur 5. l. pen. ff. de impensis l. dotes 61. ff. de ritu nuptiarum*. Barbosa *in rubrica ff. solut. matrim.* Corrasius *in d. l. quod dicitur*, Cujacius *l. 23. observ. c. 12.* Pichardus *in §. fuerat, n. 13. Instit. de actionibus*. Don Nicolaus de Castro *in l. 2. C. de fundo dotali, n. 13.* Roman. Valeron *l. unico animadv. e. 10. & 11.* quod Justinianus immutavit statuens, ut ob impensas a marito factas retentio illi non daretur: sed si mandato uxoris factæ sint, actio mandati marito competat; si absque mandato, actio negotiorum gestorum: non ergo in eo textu agitur de Procuratore, qui regulariter actionem mandati contrariam habet ad recuperandas impensas, ex præsenti textu, & supra traditis.

CAPUT VII.

Idem *Scholaribus* a *Parisiens.*

QUia in causis, quæ contra vos, & pro vobis moventur, interdum vestra Universitas ad agendum, & respondendum quotidie interesse non potest, postulastis a nobis, ut procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione liceret. Licet igitur de jure communi hoc facere valeatis, quia tamen hoc petiistis a nobis devotioni vestræ specialiter indulgeri, instituendi procuratorem super his, *b* auctoritare præsentium vobis concedimus facultatem.

NOTÆ.

1 a *Parisiensibus.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 1.* de hac percelebri Academia Parisiensi egi *in c. ex litterti, de constit.*

2 b *Auctoritate presentium.*) Sed ad quid hæc specialis concessio? cum in jure communi attento qualibet communitas possit procuratorem constituere, *c. unico*, junctis ibi adductis, *de syndico*; præcipue cum privilegium sua natura exigat, ut aliquid speciale per illud concedatur, ut probat P. Suarez *de legibus l. 8. c. 1.* Cui difficultati communiter respondetur, Innocentium III. in præsenti concessisse facultatem constituendi procuratorem jure communi Scholaribus Parisiensibus competentem ad tollendum, si quod erat, dubium circa ipsos, ut in aliis casibus plerumque a Romano Pontifice factum legimus *in c. & si Christus, de jurejur.* & aliis congestis a Navarro *in tr. de oratione, c. 3. n. 31.* Emman. Rodriquez *n. 1. q. reg. q. 7. art. 1.* Suario *d. l. 8. de legibus, c. 1.* Sed pro hujus difficultatis vera solutione, sciendum est, olim apud Francos non licuisse citra Principis rescriptum per procuratorem in judicio experiri, ut constat ex Marculfo *l. 1. form. 21.* ubi notavit Bignonius. Unde cum Schola Parisiensis, sicut aliæ Academiæ, juris potius ecclesiastici, quam sæcularis credatur, ut de exemptione hujus Academiæ agens refert Rogerus Hovedenus *in Joanne*; non mirum, quod Scholares Parisienses facultatem constituendi procuratorem in judicio a Romano Pontifice, tamquam ab eorum legitimo superiore impetrassent, docuerunt Bignonius *ubi sup.* Mich. Russel. *l. 6. historiæ Pontificia, c. fin. n. 20.*

CAPUT VIII.

Honorius III. *Episcopo* a *Egitanen.*

AUditis, & intellectis quæ de fratris Joannis Colobrien. & Bartholomæi Egitan. Canonicorum, necnon & Decani *b* Civit. suorumque conjudicum delegatorum nostrorum processibus in causa, quæ inter te, & ven. fratrem nostrum Colobrin. Episcopum, super limitatione diœcesum, ac rebus aliis vertitur, a procuratoribus partium fuere proposita coram nobis, *c* processus ipsorum, & quæcumque sequuta sunt ex eis, vel ob eos, nos noveris de consf. n. irrita judicasse, non obstantibus litteris, quas de revocatione mandati procuratori suo prædictus *d* Colobrien. Episcopus destinavit, cum antequam ad illum hujusmodi litteræ pervenirent, fuisset super eisdem processibus hinc inde conclusum. Ceterum memoratum Colobrien. Episcopum, qui procuraverat totum negotium ad examen Sedis Ap. advocari, & postmodum mandatum factum procuratori non sine nostro contemptu, & tuo dispendio revocavit, condemnandum tibi duximus in expensis, quas fecisti a tempore, quo ad procuratorem Colobrien. Episcopi revocatoriæ litteræ pervenerunt, & facies etiam usquequo idem Coepiscopus Colobrien. per se, vel procuratorem idoneum se nostro conspectui præsentabit, in principali negotio & contingentibus, ipsum legitime processurus, Ne igitur super his possit aliquatenus dubitari, has litteras duximus concedendas.

NOTÆ.

1 a *Egitan.*) Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. c. 1.* sed legendum est *Igeritanensi*, & etiam *Igeritanus Episcopus*, non *Egitanus*, ut perperam legitur *in c. cum causa 13. de probat.* Igerita enim erat olim civitas Lusitaniæ, ut constat ex Concil. Emeritensi, *can. 8.* & ex veteri inscriptione, quæ reperitur in ponte Alcantaræ, & eam refert Nonius *in sua Hispania, c. 39.* nunc obscurus vicus dictus *Idanna la Vieja*, Episcopali Cathedra translata in civitate Guardiæ, ut referunt Vaseus *in chron. ea. 20.* Laylas *in notis ad Concilium Lucense*, Cironius *in presenti*.

2 b *Civitatensis.*) Hujus Ecclesiæ mentio non reperitur apud antiquos Hispaniæ scriptores, quia constructa, & erecta fuit Ferdinando Rege Legionensi anno 1169. Est suffraganea Archiepiscopi Compostellani, & ejus mentio extat *in cap. 2. de majorit. & obed. in 5. compil.*

c *Processus.*) Non improbabiliter credo, in præsenti textu agi de lite mota inter Episcopos Igeritanum, & Colobriensem super finibus utriusque diœcesis: cujus mentio extat *in d. c. causam de probat.* & apud Innocentium III. *l. 4. regest. 16. ep. 1.* in hac verba; (Venerabilis frater noster Colimbrien. Episcopus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod